

~~Ex~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

W-19.

SIGNAT. CCCXIII.

Phil. theol. Vol. 40

einzeln verzeilt 30/3. 1915.

Index Dissertationum hoc Volumine contentarum.

- I. Ios. Georg. Neumann de Parvione Christi exuenta via via.
- II. Ios. Frid. Michaelis de Indie iuste non iniuste iudicante, Pres. Wernsdorff.
- III. Ios. Georg. Neumann de deserta Christi ad Iheros.
- IV. Martin. Philadeum de et hoc communicatione Baptismat.
- V. Eviden. de Professione Fidei Baptismat.
- VI. Ios. And. Wendt, de Participatione diuinæ Naturæ electi Dei Filii facta.
- VII. Ios. Schaffi de Principio Fidei.
- VIII. Gottlieb Wernsdorff, Rodus in Scirpolab H.H. questio.
- IX. Petr. Frid. Schroederi de Regno Christi morte redempt.
- X. Abt. Calvini & noscigis non Deus omnes homines Salvos hunc
- XI. Ios. Petrus Neumann de Communione Sanguinis Christi perficia
- XII. Abt. Calvini de Propagatione pro peccatis nostris
- XIII. Ios. Georg. Neumann. Ultio omnia dovens.
- XIV. Ios. Caspar Haferung de Venitate non inferentia dignitate.
- XV. Andree Kunadi de Incarnatione Filii Dei
- XVI. Ios. Meissner de Verbo Dei.
- XVII. Samuels Proph. Hung. de impossibilitate credidit in gratiam. Semel amissam Profecit Valentino Weltsem.
- XVIII. Ios. Neumann de Pontific N.T.
- XIX. Abt. Calvini de Sessione Christi ad dexteram Dei.
- XX. And. Kunadi de Magni Papiri orbi ex mortuis resurrectione.
- XXI^a Abt. Calvini de Vana Pseudo-Pontianorum Religione.
- XXII^b Eviden. de Vera verorum Pontianorum Religione.
- XXIII. Sebastiani Studii de Fide Viva et mortua.
- XXIV. Proph. Ignatij de Michaeli cum Diabolo de corpore Morris Mulleri de sevore, repose et letargo certamine.
- XXV. Petrus Wernsdorff de leprose, repose et letargo Dquis.
- XXVI. Abt. Calvini de magna Michaeli et Draconis.
- XXVII. Ios. And. Wendt, Ulrs Erla. 1000 p. 26
- XXVIII. Ios. Neissner de Pro vita.
- XXIX. Evid. Flumen crystallinum

DL.

ΠΕΡΙ

ΤΟΥ ΚΡΙΤΟΥ
ΔΙΚΑΙΩΣ, οτκ ΑΔΙΚΩΣ
ΚΡΙΝΟΝΤΟΣ,
SEV, DE

IVDICE
IVSTE, NON, INIVSTE
IVDICANTE,

AD VINDICANDVM ORACVLVM I. PETR. II, 23.
CONTRA STATOES INFALLIBILITATIS
PONTIFICIS ROMANI,

PRAE SIDE

DN. GOTTLIEB WERNSDOR FIO,

SS. THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE PROF. PVBL. AEDIS O. O. SS.
PRAEPOSITO, ET SENATVS ECCLESIASTICI ASSESSORE,

STVDIORVM FORTVNARVM QVE SVARVM AMPLIFICATORE, OMNI OB-
SEQVII ATQVE HONORIS CVLTV AETATEM DEVENERANDO,

DIE XII. NOV. ANNI SECVLARIS,
EMENDATAE, PER LVATHERVM, RELIGIONIS, SECUNDI,
E CATHEDRA IPSIVS,

AVCTOR RESPONDENS

IO. FRIDERICVS, GEORGIF. MICHAELIS,
VVITTEMBERGENSIS, SS. THEOL. CVLTOR,
HORIS, ANTE MERIDIEM, SVETIS, DISPV TABIT.

VVITTEMBERGAE, STANNO CREVSIGIANO.

SERENISSIMO PRINCIPI
AC
DOMINO,
DN. FRIDERICO,
DVCI SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE
AC MONTIVM, NEC NON ANGARIAE
ET VVESTPHALIAE, LANDGRAVIO THVRIN-
GIAE, MARCHIONI MISNIAE, ET VTRIVSQVE
LVSATIAE, COMITI DIGNITATE PRINCIPALI
HENNEBERGICO, COMITI MARCHAE ET
RAVENSBERGAE, DYNASTAE RAVEN-
STEINII ET DONNAE,

DOMINO MEO LONGE
CLEMENTISSIMO,

PRINCEPS SERENISSIME,
DOMINE CLEMENTISSIME.

SAXONIAM ab ultimis temporibus singulari fortitudinis laude conspicuam fuisse, certum omnino est, ita, ut Carolo Magno per XXX, et quod excurrit, annos, contra ipsam pugnandum esset, usquedum bellicosos huius regionis incolas in ordinem redigeret. Ad altius tamen fastigium fama SAXONVM tendebat, cum in semel agnita religione Christiana tantos progressus facerent, ut etiam, DEO ita dirigente, obfuscatae, tenebris Papatus, religionis emendatio, inter ipsos tentaretur, atque perficeretur. Suscepit hanc VVITTEMBERGAE THAVMASIANDER LVTHERVS, ad tam stupendum opus,

optis, divino excitatus spiritu, et juxta
normam verbi diuini feliciter ad finem
deduxit. Non minori autem studio
fovit eandem FRIDERICVS SAPI-
ENS, ELECTOR SAXONIAE, omni conatu
vero IOANNES FRIDERICVS de-
fendit, ut potius vitam ditionesque
perdere, quam illud, quod Caesar et
Concilium de religione decernerent,
approbare maluerit. Erant eo tem-
pore, quo haec cum IOANNE
FRIDERICO agebantur duo, ut SLEI-
DANVS loquitur, regionis Saxoniae pro-
pugnacula, alterum VVITTEMBER-
GA, alterum GOTHA, utrumque
ob res fulgens purioris doctrinae lu-
men celebratum. Illud erat Sion, e quo
tonus doctrinae prodiit: hoc autem
testimonium singularis constantiae,
quam in propaganda, et defendenda
religione Lutherana IOANNES FRI-
DERI-

DERICVS exhibuit. Infelici enim, pro-
pe MÜHLBERGAM, cum IMPERATORE CA-
ROLO V, facto praelio, duris conditi-
onibus, captus Elector magnanimus, in
castris ad WITTEMBERGAM, obstringe-
batur, ubi tamen ipsi spes facta, quod si
CAESARI videretur, permittente MAV-
RITIO, GOTHAM, oppidum et arcem,
sit retenturus. Licet adeo, PRINCEPS
SERENISSIME, facile hinc elicere, da-
ri firmum aliquem nexum, quoad o-
pus Reformationis, VVITTEMBER-
GAM inter et GOTHAM, ut illa sine
hac, in divino emendationis opere, ex-
optatum finem consequi haud potuif-
se videatur. Non tamen hic nexus tan-
tum ad prima, repurgationis doctrinae
divinioris, tempora, referendus est, sed
hucdum eum non esse interruptum,
omni dubio caret. Nam neque nunc
SERENISSIMA DOMVS SAXO-
):(GO-

GOTHANA, juxta exemplum GLO-
RIOSISSIMORVM MAIORVM, in primis IO-
ANNIS FRIDERICI, desit amare,
fovere, promovere, et defendere pu-
riorem doctrinam, ut omnibus singu-
lare exemplum, magno ardore, pio-
que animo complectendi religionem
veram, esse queat. Cui enim, ut ad
nostra proprius accedam tempora, fer-
vor GLORIOSISSIMI TVI AVI ERNESTI
PII, ignotus est, qui singulos fere sub-
ditos, in primis rudiores, in cognitione
salutari, eo perduxit, ut non tantum
capita doctrinae Christianae tenerent,
sed etiam legendo libros sacros, se ipsum
exercere possent, adeoque ultra plebis
indolem saperent. Vivo adhuc Paren-
te, exemplo ipsius, eundem amorem
religionis imbiberat **FILIVS SERE-
NISSIMVS FRIDERICVS**, cuius pie-
tatem et uirtutem, in **TE, PRINCEPS**
CEL-

CELSISSIONE, pleno fulgore resplendere omnes experimur. Merito hinc, primario Jure jubila canente WITTEMBERGA, ob summum beneficium, quod ante CC. annos sanctissimum Numen, non saltem huic urbi, verum etiam toti Ecclesiae exhibuit, idem GOTHA facere potest, ut simul haec duo Saxonie et purioris doctrinæ propugnacula, gaudia sua pro concredito sibi thesauro, testentur. Cum igitur haec ita se habeant, veniam dabis, PRINCEPS INDVLGENTISSIME, quod affinitate inter WITTEMBERGAM, quam ~~eo~~ matrem agnosco, & GOTHAM, incitatus, scriptum hoc leve, DE JUDICE, JVSTE, NON INJVSTE, JUDICANTE, sub præsidio CELEBRIS, IN ACADEMIA NOSTRA, THEOLOGI, IPSO JVBILÆO ventilatum, TVO CELSISSIMO NOMINI, DOMINE LONGE CLEMEN-

MENTISSIME, inscribam, & ea, qua
par est, humilitate, atque subjectione,
ad pedes tuos deponam. Vigeat, pro-
pter constantiam singularem, DO-
MVS TVA SERENISSIMA, in solia-
tum afflctissimæ religionis purioris
Lutheranæ, et in opprobrium hosti-
um veritatis. Floreat huius, maxime
autem futuri, seculi bonis cumulata, ut
TVA GENS CELSSIMA omni tem-
pore splendorem coruscum de se dif-
fundat. Ad extremum, mea tenuitas
se totam TVÆ INCOMPARABILI
CLEMENTIÆ, PRINCEPS IN-
DVLGENTISSIONE, tradit, tuumque
favorem singularem, et clientelam, sub-
missa humilitate, efflagitat.

TVI CELSISSIMI NOMINIS,
PRINCEPS SERENISSIME,
DOMINE CLEMENTISSIME,

humillima subjectionis lege subditus
JO. FRIDERICVS MICHAELIS.

PRO O E M I V M.



I unquam *oraculum* aliquod sacris in litteris, vicissitudinibus variis, pariter atque mutationibus obnoxium fuit; illud sane est, quod *1. Petr. II. 23.* reperitur. Huic enim mox aliquid adjectum, mox demptum, tandem totam ipsius formam internam eversam esse experimur. Quod ad *primum*: impingit hic quam maxime **CANON XXVIII. APOSTOLICVS**, qui hæc verba: *cum percuteretur, non repercutiebat*, proprio auctu, nulla ratione prævia, dicto Petrino superaddidit. Ita enim nexus *Canonis* fluit: *Episcopum, aut presbyterum, aut diaconum percutientem fideles delinquentes, aut infideles inique agentes, & per hujusmodi volentem timeri, dejici ab officio suo precipimus, quia nusquam hoc dominus docuit.* E contrario vero; *cum percuteretur non repercutiebat, cum malediceretur non remaledicebat, cum pateretur nom comminabatur.* Ne autem huic canonii vim quandam inferre videamus, cum verba ipsius forsitan arbitrarie posita, & in se veritati conformia, pro citatione, stricte sic dicta, accipiamus: provocamus ad **CORNELIUM A LAPIDE (a)**, qui verba hujus *Canonis* commemorata inter variantes lectiones retulit. Hanc autem a *Scriptura* discrepantiam, nulla plane auctoritate gaudere, quisque sine molesto examine facile intelliget. Quam in rem acute *magnus ille CALOVIVS (b)* hoc modo judicat, *quod nimis ita legat, esse tanti momenti, quanti canones illi, hoc est nullius.* Improbamus proinde merito illos, qui ex hoc spuriæ fonte, lectioni, a litera *Scripturae* abeunti, vim aliquam probandi tribuunt; cum tamen *Canones ipsi, ob suam, in numero, inter Græcos & Latinos differentiam, veterum-*

A

que

(a) *Comment. in Actus, Epist. Canon. & Apocal. f. 252.* (b) *Bibl. illustr. tom. II. N. T. f. 149t.*

que de eorum auctoritate dubitationem dudum rejecti sint.
Imo quoque evictum est, Canones Apostolicos, vulgo sic
dictos, non seculo I, sed, medium tenendo inter DALLAE-
UM & BEVEREGIUM, praeunte Excellentissimo Dn. P. JANO (c),
qui hac in re otium nobis facit, saltem plerosque seculo
secundo, vel tertio confectos, sed quinto demum, aut multo
post Concilium Nicænum, in hunc quem hodie vide-
mus ordinem, esse relatos. Quod alterum spectat, demta
est particula adversativa *de* referente Jo. Millio (d), in N. I.
verius II, seu, ut ipse mentem suam in Proleg. (e) explicat,
in Actibus & Epistolis Collegii novi. Hanc autem ipsam cor-
ruptionem, quæ forsan negligentia Librariorum irrepexit,
nexus oraculi Petri, cum verbu precedente, uno quasi im-
petu prostrernit. Cum enim adstructum fuisset, Servato-
rem nostrum non peccasse, neque unquam dolum in ipsius
ore repertum fuisse, res ipsa postulabat, ut cum contrari-
um poneretur, particula quoque adversativa adjiceretur.
Quod tandem ad tertium attinet, tantopere oraculum no-
strum, praesertim in rivulis quibusdam est depravatum, ut
interna ejus forma, & quasi anima avellatur. Objecto quippe
genuino, cui Christus injurias sibi illatas tradidisse dici-
tur, mutato, & adulterino surrogato, Pronomen recipro-
cum *se*, violenter intruditur, Adverbioque *duobus* prouersus
contradictorium significatum, *injuste*, seu, *non juste*, proterve
assingitur. Nunc enim non amplius sensus, quem Spiritus S. intendit, observatur, sed plane perversus, imo blas-
phemus, qui justissimum DEVVM injustitia arguit, invehi-
tur. Princeps autem codex, qui huic pessimæ depravati-
oni favet, est ipsa VULGATA VERSIO, in Synodo Tri-
dentina a Pontifice Maximo, e cathedra, definitive, authen-
tica pronunciata. Qua ratione itaque hic error auctorita-
tem æque ac infallibilitatem summi Pontificis infringat,
omnium

(c) Disp. de Antiquit. Canon. Apost. (d) N. T. Graco cum Lect. va-
riant. f. 557. (e) Seitz. 1389. & 1423.

omnium oculis expositum esse credimus. Ille sane, qui approbat, DEO judicii justissimo & æquissimo, injustitiam adscribentem, non infallibiliter, sed fallibiliter statuit, imo plane in hæresin & blasphemiam ruit; quæ omnia, cum Pontifex Rom. Vulgatam Vers. approbaverit, in ipsum pelno, ut dicunt, alveo recidunt. Juvat commemorare quædam, ex ore VENERANDI PARENTIS hausta, quæ perplexo stimulum, eo curatius genuinum oraculi Petrini sensum, investigandi, addidere. Nimurum CASSOVIAE, quæ est metropolis superioris Hungariae, cum adhuc ibidem Catholica, Lutherana, & Helvetica Religio vigerent, ut se invicem Professores Lyceorum quotannis ad Iolemnia provocarent certamina, usu fuit receptum. Verum Patres Societatis Jesu non contenti domesticis antagonistis, quorum tamen vires sèpius sàt validas senserunt, vicinis strenuam quoque pugnari indicabant. Accidit itaque anno plus minus 1667, ut invitati tum temporis florentissimi Eperiensis Statuum Evang. Collegii Professores, ISAACUS ZABANIUS & ELIAS LADIVERUS comparerent. Junctis proinde viribus auctoritatè & infallibilitatem maximi Pontificis, quæ in disceptationem veniebat. ex I. Petr. II. 23. impugnabant, & hunc arietem muro admovebant;

Q. approbat illum, qui DEV M arguit injustitiae, ille non est infallibilis judex controversiarum fidei.
Atqui P. R. etc.

E. P. R. non est infallibilis Judex controversiarum fidei.
Propositio sub sanctis restrictionibus: ex cathedra & definitive admittebatur; sed nec Assumptio hoc modo negari potuit, quia approbavit, et authenticam statuit Vulgatam editionem, ut ex Synodo Tridentina constat. Jam vero vetus illa versio DEV M, de quo tanquam judge justo secundum originalem textum commate hoc 23. agitur, injuste judicare pronunciat. Depravationis igitur accusabantur codices, quibus laudati Professores utebantur. Hi urgebant, ut Pa-

tres, e Bibliotheca sui Collegii, codicem aliquem Græcum,
haud sublestæ fidei, apparet, qui loco illius dicitur, quod
constanter in textu authentico legitur, adhuc haberet. Hi
satisfacti desiderio *Professorum Eperiensum*, unus post alterum,
more Scribarum Pharisæorumque, feminam ἐπανοψιῶν
deprehensam, accusantium, egrediebantur, nullus ta-
men revertebatur. Et sic Praes duntaxat cum Respon-
dente, sociis, qui alias Antagonistas clamoribus obruere
studebant, disparentibus, conspiciebantur. Hæc itaque
manifesta præbent indicia, Pontificios neque Vulgatam
versionem, neque auctoritatem & infallibilitatem summi
Pontificis tueri potuisse. Meretur proinde hic locus, ut
paulo accuratius introspiciatur, & nexus ipsius ex genuinis
fontibus deducatur. Hac ratione opera pretium me fa-
ctum existimavi, si argumenta, quæ pro excusanda Vul-
gata Versione facere possent, sub examen vocarem, iisdem
rationes, quæ invictè genuinam adstruunt sententiam
opponerem, ut eo clarius, quenam sit jactata illa Pont. R.
infallibilitas, luci exponatur. Instigant porro animum meum,
ad hoc opus suscipiendum, motus Cleri Gallicani, qui eo
tendunt, ut non saltem fucatam infallibilitatem Pontif.
summi suspectam reddant, sed prorsus explodant, fundi-
tusque evertant. Svatet denique hunc laborem ipsa pie-
tas erga solum patrium, temporisque ratio, quo coetus
purius, emendata Religionis per Megalandrum LVTHERVUM
Jubila seculi secundi, divina fretus ope, grata mente reco-
lit. Quamobrem stipatus gratia divina, me ad ipsum o-
pus accingo, methodum in *Conspicuum Disputationis* exhibi-
turus.

CON-

CONSPECTVS DISPV TATIONIS.

CAPVT I. ILLA EXHIBENS QVAE PRO VULGATA VERSIONE FACERE VIDENTVR.

- § 1. De variantibus lectionibus agitur, easdemque corruptiōnem fontium non inferre probatur.
- § 2. Clāsses variant, lect. consti-tuuntur.
- § 3. Mutationem loci Petrini me-ram depravationem esse affe-ritur.
- § 4. Fons hujus depravationis ostenditur.
- § 5. Historia corruptionis necti-tur.
- § 6. Audacia quorundam, simpliciter textum authenticum re-pudiantium, improbabatur.
- § 7. Interpretatio quorundam in epta detegitur.
- § 8. Pontificios in aptiore qua-dam refugium querere mon-stratur
- § 9. Pilatum Liberatorem opti-mum in iuste judicasse, amba-bus manibus datur.
- § 10. Nihilominus hoc presidium Pontificiorum expugnatur.
- § 11. An Commentarii Clementis Alexandr. in Epistolas cano-nicas γνήσιοι sint? dubitatur.
- § 12. Stringens ratio contra av-θεοφανem horum Comment. af-fertur, & hoc modo argumen-tum Pontificiorum eluditur.
- § 13. Si quidam ex mente quo-rundam Theologorum sint, qui Didymum pro Vulgata alle-gent, ad αὐτοφανem alegantur.
- § 14. Quid de Cypriani,
- § 15. ---- Pontii Paulini,
- § 16. ---- Leonis I. P. R.
- § 17. ---- Glossae ordinarie,
- § 18. ---- variarum lectionum Valesianarum,
- § 19. quid denique de MS. Atre-batenſis Collegii ſericati au-ctoritate ſentiendum sit? ex-ponit.
- § 20. Versiones quedam, ex con-fiffione cum Vulgata, reſu-tantur.
- § 21. Loca Eſa. LIII. 7.
- § 22. Jer. XI. 19. atque.
- § 23. Eſa. L. 6. Petrino corrupto, tanquam παράληλα, fave-re negatur.

A 3

CAPVT

CAPVT II.
SISTENS RATIONES, QVAE INVICTE
GENVINAM ADSTRVVNT SENTENTIAM.

- § 1. Via ad tractationem subse-
quentem sternitur.
- § 2. Genuinus sensus oraculi ex
ipsius textus visceribus erui-
tur: Pontifexque R. una cum
basitoribus, vi approbationis
blasphemi erroris, fallibilita-
tis postulatur.
- § 3. Nullum Codicem Gr̄ecum
adūoꝝ legere, non sine funda-
mento, statuitur.
- § 4. Pro genuina lectione Patres
Greci, & speciatim Didymus,
allegantur.
- § 5. Excipit hunc Cyrus Alex-
andr. ubi Interpres ejus,
tanquam malefidei notatur.
- § 6. Ad Latinos, & speciatim
Augustinum, progressus insi-
tituitur.
- § 7. Huic Fulgentius subjungi-
tur.
- § 8. Versiones orientales, & si-
gillatim Syriaca,
- § 9. Arabica, Aethiopica & Ebra-
ica, errori Vulgate Versionis op-
ponuntur.
- § 10. Occidentales hic facientes,
nimirum Anglicana, Italica,
Hispanica, Gallica, Danica,
Hungarica, Bohemica, Polo-
- nicaque lustrantur.
- § 11. Locus παράλληλος Jer. XI,
12, tanquam Commentarius
dicti Petrini adducitur; Cui
§ 12. Oracula Esa. LIII. 2. Deut.
XXXII. 35. Rom. XII. 19. Ebr.
X. 3. adduntur.
- § 13. Pontificii inter seipsoſ com-
mittuntur.
- § 14. Cornelius a Lapide impu-
dentia accusatūr.
- § 15. Pontificiorum, in primis il-
lorum, qui auctoritate sedis
Rom. correctioni Bibliorum
prefuerunt, judicium de Vulg.
Vers. carpitur.
- § 16. Auctoritatem Hieronymi,
pro Vulgata nibil facere, ad-
struitur.
- § 17. Ex ipsis verbis Correctorum
ejusdem concluditur, Vulga-
tam non esse authenticam.
- § 18. Vanitas Correctorum omni-
um oculis exponitur.
- § 19. Infallibilitas summi Ponti-
ficis fallibilis atque erronea in
lucem protrahitur.
- § 20. B. Lutherum ante hos du-
centos annos infallibilitatem
spuriam P. R. subvertisse, con-
tra

tra A. Contzen: genuinam
vero Scripturæ S. summo jure
retinuisse, contra F. Foris O-
trokocsi defenditur.

§ 21. Quantum utilitatis ex de-
turbatione infallibilitatis P.
R. per B. Lutherum facta, La-
ici atque Clerici habeant, tra-
ditur, quod ultimum exemplo
Cleri Gallicani, & turbis
Quesnellianis illustratur.

§ 22. Optatur ut Quesnelliū er-
rorem Vulg. Edit. in loco no-
stro Petrino excendasset.

§ 23. Missis controversiis Ques-
nelliā, expugnataque infal-

libilitate P. R. & alterum pre-
sidium, antiquitas nimirum
Ecclesie Romanae Otrokocſio e-
ripitur.

§ 24. Hinc pro calunnia numi-
fima Romanum A. Contzen
habetur, et ordine inverso in i-
psos Pontificios retrorquetur.

§ 25. Calumniandi libido, Ponti-
ficiis propria, anobis vestigiis
is Christi insipientibus nostre-
que labore removetur.

§ 26. Pio voto pro universa Lu-
therana Ecclesia, & sigillatim
incluta ad Albin Academiam to-
ti negotio colophon imponitur.

CAPUT I.

EXHIBENSILLA, QVAE PRO VVLGA- TA VERSIONE FACERE VIDENTUR.

§. I.

Dari, non in veteri duntaxat, quod supponimus,
sed & in novo Foedere variantes, ut vulgo di-
cuntur, lectiones, easdemque fat multas, non
indiget operosa probatione, si modo inter alios
obiter STEPHANI CURCELLAEI N. T. & OPUS MIL-
LIANUM introspiciatur. Longe autem alia quæstio est,
an hæ lectiones ipsam corruptionem fontium inferant?
quod ut auctoritati Vulgatae suæ Versionis consulant, ean-
demque eo altius evehant, Pontificii avide arripiunt, at-
que omni conatu propugnare student. Intendunt autem
ante omnia, ut illud, adeo ipsis invisum examen versionis
Latinæ ad Græcos fontes authenticos, removeant, deinde
vero vim normandi ipsis admant, hancque ad suam Vul-
gatam,

gatam, impudenti ausu transferant. Hac autem ratione plurima Theologorum nostratium argumenta, contra falſa illorum dogmata, versionem ipsam, & auctoritatem summi Pontificis, eo felicius eludere allaborant. Diferte enim dicit **BELLARMINUS** (*a*) *negligentia librariornm violatos esse Gr̄ecos codices, ut non sint omnino purissimi, nec tutum sit semper Latina ad Greca corrīgere.* Sed huic erroneæ, imo plane homine Christiano indignæ sententiæ, jam dudum satisfactum est a cordatis Ecclesiæ nostratris Theologis, e quorum numero unum sufficiat allegasse **CALOVIUM** (*b*), qui sane ita Papicolarum conatus destruxit, ut ipsis vix aliquid remanserit, quod regerere possint.

§. II. Seposita autem tantisper hac controversia, investigabimus saltem, quotnam, qualesque, variantium lectionum classes statui possint. **Celeberrimus GLASSIUS** (*c*) earundem *quatuor* recenset, ita, ut mox *Additionem*, mox *Omissionem*, mox *Mutationem*, tandem denique aliquam *Transpositionem* inferre dicantur. Eandem, quoad numerum clasium, sententiam retinet **LUDOLPHUS KÜSTERUS** (*d*), interim tamen quoad rem aliquantum dissentire videatur. *Membrum enim primum* harum lectionum dicit esse *falso ita dictarum*; *secundum*, *dubiarum*; *tertium*, *vere quidem talium*, *sed nullius momenti*; *quartum* denique *vere itidem talium*, *sed alicujus, vel magni momenti*. Non autem opus erit multam in describendis & illustrandis hisce membris operam ponere, cum utrumque ipse **KÜSTERUS** sufficiensime præstiterit. Nos in præsenti vestigia hujus viri sequemur, cum methodus ipsius ad scopum nostrum sit accommodatissima, remque totam vivis quasi coloribus depingat.

§. III. Si itaque oraculum nostrum, quod legitur
i. Pet.

(*a*) lib. II. cap. 7. de Verb. DEI. (*b*) Critico S. diatribe VIII. p. m. 221 seqq. (*c*) Philol. S. lib. I. tract. II. part. I. memb. I. p. m. 127, 128, 129, & 130. (*d*) Prefat. ad N. Foedus Jo. Millii.

t. Pet. II. 23. inspiciamus, ipsiusque lectionem variantem, ubi
loco διναῖς, ἀδίναις in quibusdam versionibus, præsertim
Vulgata, substituitur; et post particulam δε Pronomen
reciprocum εἰς inseritur, paulo accuratius examine-
mus, ad nullam commemoratarum clasium aptius,
quam ad primam referri posse existimamus. Jam vero di-
cta classis non genuinas, sed falsas variantes lectiones ex-
hibet, qvæ non variantium lectionum titulum, sed potius
turpium depravationum merentur. Ne autem quid præ-
ter rem statuisse videamur, sententiam nostram, tum *remo-
vendo*, tum *adfruendo*, probatam dabimus. Quoad prius, ni-
hil sententiae nostræ obstaculo esse poterit, quod hæc lec-
tio apud qvosdam Patres, satis vetustos, imo, apud CY-
PRIANUM bis occurrat. Non enim ad rivulos, ex qvibus
Patres illi sine dubio hanc lectionem desumserunt, sed ad
ipsum fontem erroris, quem *hallucinationem ineptam* esse,
sequenti paragrapho videbimus, est respiciendum. *Poſte-
rius* quod concernit, non desunt nobis valida argumenta,
quibus conficimus, errorem hunc *non ad variantes lectiones*,
sed *ad manifestam adulterationem textus*, esse referendum.
Ante omnia namque constat, hoc modo *Vers. Vulg.* ejusque
depravationem loci nostri, contradictorie a textu Græco
dissentire, qvi suam *ἀνθετάν*, tam ex connexione, quam
convenientia omnium Codicum Græcorum, satis corroborat.
Deinde quoque sensum, uti *capite posteriori* demon-
strabitur, absurdum, &, si secundum scopum textus ex-
pendatur, blasphemum plane parit, &, tandem se nullo
prorsus suffragio ullius codicis MSC. fide digni tuetur.

§. IV. Fontem autem & originem hujus depravatio-
nis, si paulo diligentius scrutemur, liqvidiorem haud re-
perimus, quam *insulam hallucinationem*. Hæc quippe cau-
fa est, qvod multa Scripturæ oracula mirifice fuerint de-
pravata. Vt dictis fidem faciamus, illustrationis gratia duo
loca, ex qvorum mutatione ad oculum patebit, hallucina-
tionem

tionem multorum matrem extitise errorum, adducemus.
Prior locus apud *Lucam Evang. Cap. II. com. 22.* legitur. Nam
cum hæc verba: Καὶ ὅτε ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τὸν παθαίσιον δύσκολον,
a quodam rerum divinarum non adeo gnaro, evolveren-
tur, hærebat ipsi aqua, num ista veritati congruant? Ra-
tio dubitationis erat: Quia Christus sanctus sanctorum, si-
ve sanctissimus, & in labe originali neque conceptus, ne-
que natus, nullum unquam delictum commiserit, non
opus fuisse, ut oblatione quadam, quæ ad peccatores spe-
ctabat, expiatetur. Et hinc Pronomen Masc. Plur. *δύσκολον*
mutare non sibi religioni ducebat, inque ejus locum Fœm.
Sing. *δύσκολη*, quod B. Virgini convenire existimabat, teme-
rario ausu surrogare non exhorrescebat. Atque ex tali hal-
lucinatione, hanc variantem natam esse lectionem, mani-
festo deprehendimus, uti in EDITIONE COMPLUTEN-
SI, recensita ex MSS. per ROBERTUM STEPHANUM, LE-
CTIONIBUS VELESIANIS, VULGATA atque ARABICA
VERSIONE conspicitur. Neque tamen & hæc mutatio
omnibus arrisit, sed quidam inventi sunt, qui annotante
MILLIO & S. CYRCELLAE O, Genus Malc. Sing. *δύσκολη* sub-
stituerunt. Hi forsitan defixos in Magnam Matrem habu-
erunt oculos, utque eandem a labe originali vindicarent,
dubium, quod ex his verbis suboriri poterat, ex animis
omnium hac ratione evellere studuerunt. Existimabant
itaque ad Christum tantum pronomen illud pertinere, qui
tanquam deprecator generis humani, iniquitates mortali-
um tulit, omnesque peccatores divino suo cruore a foedi-
tate scelerum purificavit. Nihil tamen hac depravatione
causæ suspectæ præsidii accesit: cum fratres hi Cadmei se
ipsos mutuis conficiant telis, atque negantes affirmantibus,
& vicisim, natam hæreos, Jo. PERLINO (e) teste, inu-
rant. Alter locus, qui nostræ sententiæ roborandæ infer-
vit,

(e) *Apologia Scholastica pro Magne Matris ab orig. debito immunitate,*
Diss. II. cap. I. p. 28. seqq.

vit, habetur, Rom. XII. ii. Vbi lector, in coelesti veritate non satis confirmatus, dubium concipiens de ~~ad~~^{de} ~~evangelia~~^{eu} hu-jus lectio[n]is : ~~και εγω διδασκαλεοντες~~, cum alias dicatur : Soli DEO servies : in margine sui Codicis ~~κυριον~~ substituit, q[uo]d, temporis successu, ipsum textum irrepit, & vitiavit. Quæ fa-ta non tantum ORIGENIS ingentes labores, quorum B. WALTHERVS (f) meminit, sed & aliorum Annotatio[n]es marginales senserunt. Ex adducto igitur loco Paulino perspicuum est, & hanc hallucinationem numerum Var. Lect. ita auxisse, ut simul multos Codices & Patres, q[uo]s magno numero MILLIVS (g) adduxit, in suam senten-tiam pertraxerit. Et crasse ejusmodi hæsitationes, in Pa-patu valde obviae sunt, quæ tamen non corriguntur, sed ab imperitis mordicus defenduntur. Inter quas primario iure numerari debet, quæ ex Joan. XIX. 34. 35. nata est, ubi ex ap-pellativo λόγχη, proprium LONGIN, aliis LONGIR, est confi-ctum, & militi, latus Christi lancea saucianti, inditum. Hunc admodum coecum fuisse, delapsaque in oculos ex hiante vul-nere cruore, visum recepisse, suaviter somniant. Proinde talia caute legenda, &, nisi oculatiorum incurrere velis cachinnios, ad normam sedulo sunt exigenda. Pari ratione res comparata est nostro cum oraculo; nam cum post ver-bum ~~παρεδίδεις~~ nullius objecti in specie mentio facta fuerit, contendebant quidam, de ipsis Christi persona hic ser-monem esse, quare Pronomen reciprocum *seipsum* coacte inserebant, cumque Christus se Pilato tradiderit judican-dum, qui injuste ipsum condemnaverit, illud ~~δικαιωτικόν~~ contra-dictorio sensu efferebant. Disco itaque solis est expositum, turpem hanc loci Petrini depravationem, crassam circa objectum hallucinationem peperisse. Neque hoc ipsum, apud suos, magna eruditio[n]is vir G. ESTIUS (b) dissimulat, & hoc modo magis auctoritati Vulgaræ Versionis consulit,

B 2

quam

(f) Officina Bibl. Rep. pr. § 328. p. 275. (g) Nov. Foed. ad b. l. (b)
Commentar. in omnes Epist. Apost. f. 171.

quam omnes reliqui errorum defensores. Tribuit enim hanc lectionem infiditiae librariorum, de quibus statuit, quod, cum non intellegent Vulgatum Interpretem, jam olim verba ipsius in sensum magis obvium mutaverint. Hoc porro non parum confirmat LUCAS BRUGENSIS (1), dum PAULINVM antiquo librariorum errore deceptum fuisse, fatetur.

§. V. Quo autem praeceps tempore haec depravatio primum irrepserit, vix ac ne vix quidem constat. Id ex monumentis Patrum certum est, errorem hunc satis antiquum, & tantum non ad *seculum III.* & ad ipsius *Cypriani tempora* referendum esse, cuius in Operibus bis allegatus deprehenditur. Nullo modo autem originem ipsius a *seculo II.* deducendam censemus, quia *Commentarii CLEMENTIS ALEXANDR.* in *Epistolas Catholicas*, qui in *Bibliotheca M. PP.* reperiuntur, ad quos provocari posit, spuri sunt, & nullam fidem merentur. Propagatus autem deinde *seculo IV.* & *V.* per *PONTIVM PAVLINVM*, *Episcopum Nolanum*, & *LEONEM I.* summum Pontificem, maximam partem vero per *Versionem Vulgatam*, atque usque ad nostra tempora retentus, *seculoque XVI.* cum omnibus vulgate Editionis commatibus ac propositionibus, in Synodo Tridentina, authenticus pronunciatus fuit. Non tamen omnes inter *Latinos Patres*, (ex *Grecis* enim Pontificii hucdum nullum pro sua sententia adducere potuerunt,) hanc lectionem fallam secuti sunt, sed veritas inter densas etiam tenebras in *Latinis versionibus* conservata fuit, quod suo exemplō *FVLGENTIVS* & *AUGVSTINVIS* egregie testantur.

§. VI. Ad argumenta, quae pro Vulgata Editione faciunt, si progrediamur, ante omnia mirari subit vorundam audaciam, qvi, nullis in medium allatis argumentis, simpliciter textum avthenticum rejecerunt. Nam ita *EMSERVS* (k) in *B. Lutherum* invehitur: *Luther teufel* bie mit

(i) *Vid. Bibl. Crit. in locum nostrum Petrinum.* (k) *Vid. ejus N. T. editum 1539, & Annotat. über Luthers neuen Testament, und dem neuen Testamente, so Emser verdeutscht hat, editas 1535.*

bis mit vorsätzlichem Giffr, Erststets aber beim dem, der da recht richtet. Et alio in loco: *Im letzten paragrapho, do geschrieben stet, welcher mit wiederschalt, do er gescholten ward, nit dreyvvet do er leid, volget in unserem Text, und underwarff, oder gab sich dem, der jn mit Vnrecht verurteilt, welchen Worten Luther gar vil eine andere Nasen macht, und dolmetschet: Er stellts aber beim dem der do rechtrichtet.* Nec aliter sentit ipse DIETENBERGIVS (^l), cuius hac de re tale est judicium: *Do wir lesen, und underwarf oder gab sich dem, der ihn mit unrecht verurtheilt, dolmetschen die Elmasster disß Wort viel anders und unrecht in ibren Biblien: Er stellts aber beim dem, der da recht richtet.* Verum cum isti pro auctoritate & animo elato Lutheri versionem suggillent, impetu Cyclopico innocentem impugnant veritatem, nullaque pro sua opinione adducant rationes: tanquam coecos & impingentes aequo jure missos facimus, nec operosiore refutatione dignos ducimus.

§. VII. Alii sibi persuasum habent, se satis vindicasse Vulgatam Versionem, si ex loco hoc depravato commodum aliquem sensum elicant. Et nisi me omnia fallunt, singuli spurios CLEMENTIS ALEXANDR. Commentarios (^m) fecuti sunt. Hi enim illud: *Tradebat autem iudicanti se, sive semetipsum, injusse, ita exponunt, ut nempe sit ὁνεγθετος, hoc sensu: Tradebat autem semetipsum secundum injustam legem iudicantibus; uspote justus existens, vel: tradebat DEO injusse iudicantes, i. e. eos, qui cum nequissime condemnabant, & gratis neci ejus instabant, ut supplicia perpetientes, erudiantur.* Cui explicationi, quoad singula verba GLOSSA ORDINARIA (ⁿ), atque ex parte HUGO DE S. CHARO (^o) subscribunt. Sed quis non statim primo intuitu animadvertis, hoc modo dicto huic, prout etiam in Vulgata legitur, duplicum sensum adscribi; nunc enim idem esset, ac *trad-*

B 3

bat

(^l) in Bibliis Germ. ad b. l. (^m) Vid. tom. I. Biblioth. M. PP. edit. Paris: f. 1237. (ⁿ) tom. IV, ad b. l. (^o) tom. VII. OO. ad b. l.

*bat semetipsum secundum injustam legem judicantibus; nunc ve-
ro, ac tradebat DEO injuste judicantes.* Hi tamen nosse de-
buissent, Spiritum S. non esse Spiritum vertiginis, sed in
unaquaque propositione simplici totius Scripturæ S. non
nisi unicum sensum literalem intendere. Et si verba textus
detorsi paulo penitus introspiciantur, luculenter appare-
bit, neque cum dictamine Grammatico utramque hanc
explicationem convenire. Siye enim priorem eligas : *Tra-
debat autem semetipsum, secundum injustam legem judicantibus,
sive posteriorem: Tradebat DEO injuste judicantes; neutra cum
verbis Latinis conveniet.* Prior namque *singularem* mutat
in *pluralem*; altera vero plane cum iisdem conciliari ne-
quit, quia depravationem depravatione cumulat, atque
Dativum qui ad objectum personale erat referendus, ab
eodem plane removet, imo ut saltem sensum aliquem ob-
tineat, pro Dativo Accusativum substituit, quem tamen
legendi modum SIXTUM V. jam jam correxisse, LUCAS
BRUGENSIS (p) annotavit.

§. VIII. Cum itaque haec conciliatio non saltem co-
acta, verum plane erronea sit, prudentiores Pontificii, ut
nihilominus Vulgatam suam versionem vindicarent, de alia
aptiore, qvæ sensum verborum corruptorum eo melius ex-
hauriret, cogitarunt. Hinc HUGO DE S.CHARO inter
alias explications, hanc quoque in medium attulit, quod
scil. illud : *Tradebat autem judicanti se injuste, ipsum Pilatum*
respiciat, qui Christum injuste judicarit atque condemnari-
*t. Hanc proinde declarationem cum viderent Pontifi-
cis Rom. asseclæ, nullam vim verbis Vulg. Vers. inferre,*
ad unum propemodum communī consensu receperunt.
Hinc ESTIUS mentionem illius facit, LYRA (q) eandem
fovet, omni denique studio & conatu, perpetuis ille, ut sic
loquar, Vulgati Interpretis Advocatus ordinarius, CORNELIUS
A LAPI-

(p) Catalogo Rom. Correct. Edit Vulg. jussu Sixti V recognite, pramissō
N. T. Ariæ Mont. (q) Part VI. Bibl. f. 220.

À LAPIDE, quamvis sine exoptato successu, mordicus defendit.

§. IX. Nos Pontificis ambabus largimur magibüs, Pilatum omnino Christum injuste judicasse, si vel maxime ipsius judicium secundum leges Juris criminalis, quæ nostro tempore in foro obtinent, examinetur. Cum enim in Judice ante omnia *probitas*, *honestas*, *prudentia*, & *peritia juris* commendentur & requirantur (r), videmus in Pilato vix unum horum requisitorum locum habuisse. Nam insigne *improbitatis* testimonium edidit, Christum non saltem flagellis subiiciendo, sed etiam, quo vesano Judeorum furori gratificaretur, abjectissimo mortis generi adjudicando. *Honestatis* autem nullam rationem habebat, dum, ne forsan in suspicionem apud Imperatorem incurreret, potius justitiam laderet, & justum nihilominus condemnaret. *Prudentiam* vero ipsum destituisse, ex eo appareat, quod objectionem Judeorum, nisi Christum neci daret, clemenciam atque favorem Principis sui nequaquam retenturum, eludere non potuerit; ut *peritiam* eius modo intactam relinquamus. Merito igitur rejicimus sententiam Jo. STELLERI, qui, peculiari tractatu, defensionem Pilati, ejusque injusti judicij suscepit, atque hac ratione bono jure in censorum CHRIST. THOMASII (s) incurrit, qui errores ipsius non modo detexit, sed & solide refutavit.

§. X. Etiam si itaque prolixissime concedamus, judicium Pilati injustum fuisse: nondum tamen hinc Pontificii aliquid pro sua Vulgata elicere, & ab injusto judicio Pilati, ad veritatem depravationis loci Petri concludere poterunt. Et quis quæso hanc consequentiam admittet: Pilatus injuste Christum judicavit; ergo detorsio textus authenticus, que coacte reciprocum *εαυτον* inserit, & Adversario

(r) *Vid. B. Beyerus in Delineat. Juris Crim. secundum Institut. Caro. Art. I. posit. IV.* (s) *Vid. ejus Disp. Lipsiae 1675. Praefide Frid. Tobia Moebio. de injusto Pilati judicio habita.*

bio δινάλως contradicitorum αδίνως surrogat, erit probanda? Quam maxime autem attendendus est scopus verborum Spiritus S., qui cum hic judicem injustum non admittat, quod *Capite posteriore* adstruemus (*z*), neque Pilato in nostro oraculo ullus relinquetur locus, sicque tota Pontificiorum ψευδεγγύεια in irritum cadet.

§. XI. Deficientibus itaque argumentis, ex ipso tex-
tu de promtis, ad antiquitatem, uti in more ipsis est pos-
tum, & auctoritatem Patrum sese conferunt, hicque ali-
quod erroris sui præsidium querunt. Primo itaque loco
nobis antiquissimum, ex ipsorum mente, corruptionis loci
nostrī assertorem CLEMENTEM ALEXANDR. (*u*) affe-
runt, qui non saltem illam expresse exhibet, sed etiam ex-
plicatione sua defendit. Verum quam leve hoc sit argu-
mentum, exinde evincitur, quod jamdudum *Commentarii*
CLEMENTIS ALEXANDR. in *Epistolas canonicas*, pro sup-
positiis habiti fuere. Nullius enim testimonio, quam CASSI-
ODORI (*x*), se commendant, qui tamen ipse fatetur,
multa quidem in iisdem subtiliter, quadam tamen incaute ipsum
CLEMENTEM locutum fuisse. Quare etiam non dubitavit,
cum illos in Latinum idioma transferri curasset, offendicula quædam excludere, ut purificata doctrina securior pos-
sit hauriri. Quod itaque ad hanc rem attinet, multum e-
quidem auctoritati CASSIODORI tribuimus, merito ta-
men, cum G. CAVE (*y*) fluctuamus, an *Commentarii* hi,
qui in *Bibliotheca M. PP. tom. III. edit. Paris.* & in *Appendice ad*
Orationem CLEMENTIS περὶ τὰς ὁ σαρόμενος πλάστις, hodie
extant, iidem sint cum illis, quorum CASSIODORUS men-
tionem injecit.

§. XII. Stringens autem ratio, quæ plane omnem
auctoritatem horum Commentariorum deturbat, est, quod
præter consuetudinem omnium Patrum Græcorum, in quo-
rum

(*t*) *Cap. II. §. 2.* (*u*) *Conf. Cornel. a Lapide l.c.* (*x*) *Institut. Divin. lib. I.* (*y*) *De Scriptor. Eccles. f. 56.*

rum tamen numerum ipse CLEMENS referendus, oraculum nostrum, non corrupte duntaxat adducat, verum etiam explicit. Hinc firmiter colligimus, Commentarios illos, non ad tempora CLEMENTIS ALEX., verum ad multo sequiora, quibus jam corruptio hæc locum aspexerit, referendos esse. Sic itaque omnis vis probandi argumento Pontificiorum, ab auctoritate Scriptoris sublestæ fidei petitio, prorsus admittitur.

§. XIII. Sublato hoc auctoritatis fulcro, uti ex re-censione GERHARDI (z), CALOVII (aa), & RAITHII (bb) accepimus, alii se recipiunt ad DIDYMUM ALEX. atque hunc pro sententia sua allegant. Sed, si dicendum quod res est, huic neminem ex Pontificiis, quos evolvendi nobis facultas data fuit, invenimus, qui DIDYMU M pro Vulgata Editione facere statuat, & hinc argumentum aliquod, quo ipsa defenderetur, eliciat. Econtrario ipse CORNELIUS A LAPIDE concedit, DIDYMUM ALEXANDR genuinam lectionem nostram, cum AUGUSTINO, adstruere. Existimamus itaque, si quidam reperiantur, qui DIDYMU M pro corruptione oraculi nostri in medium adducant, non opus esse, ut Didymo ipsi culpam adscribamus, huncque, ex mente laudatorum Theologorum, contradictione laborare dicamus, sed saltem ablegandi erunt ad Enarrationes ejus in Epistolas canonicas, ubi avulsa eisdem convincet, quod vix, vel obiter tantum, Didymum inspexerint.

§. XIV. Missis argumentis, quæ spurio innituntur fundamento, majori jure, Romano-Catholicis, testimonium CYPRIANI inferire posse, conjectamus. Hic enim adhortatur ad patientiam, argumentum desumit ab exemplo Christi, utque totam rem oraculo Scripturæ comprobet, provocat ad nostrum locum, illumique integrum ob oculos sistit, ita tamen, ut simul error Vulgatae Editionis

C

(z) *Comment. super Epist. priorem Petri. ad b. l. p. 292.* (aa) *Bibl. illuſtr. tom. II in N. T. ad b. l. f. 1492.* (bb) *Vindic. Verf. B. Lutheri, ad eundem locum p. 585.*

nis exhibeatur (cc). Alio vero in loco (dd), ad Christum, tanquam exemplar vivendi, se recipit, ubi pariter eodem modo, quo antea, dictum nostrum adducit. Cum itaque hic Pater, seculo jam III vixerit, non parum videtur ipsius auctoritas lectionem nostri textus corruptam promovere. Nos equidem certo modo aestimamus, magnique facimus auctoritatem veterum Ecclesiæ Patrum; nullo modo tamen illam, in citationibus locorum Scripturæ, ipsis codicibus præferimus, quia hi ex instituto Scripturam S. tradidere; illi vero quandoque incidenter, non inspectis fontibus, loca quædam, memoriae beneficio, citarunt. Certo itaque nobis pervasum habemus, CYPRIANVM, si Græcum textum infexisset, longe aliter locum nostrum redditurum fuisse; hoc autem neglecto, quid mirum, quod, una cum aliis, a veritatis tramite aberraverit? Notavimus enim, quoad hanc depravationem, conjici posse, jamjam hoc tempore versiones quasdam corruptas fuisse. Fieri hinc potuit, Cyprianum in talem incidisse, cumque eandem secutus fuerit, in similem errorem esse prolapsum. Auctoritatem porro CYPRIANI, hac in parte, illud imminuit, quod, cum sit e Latinis, hac ratione Græcis Patribus contradicat, qui tamen, cum ipsismet usi sint fontibus, longe majorem, quam Latini, vim probandi habent.

S. XV. Non igitur porro nobis opponi poterit testimonium PONTII PAULINI, Episcopi Nolani (ee), qui cum asseruisset, Christum sequi, idem esse, ac ita ambulare, quomodo Christus ambulaverit, modum hujus ambulationis descripturus, locum Petrinum pariter corruptum, ut CYPRIANUS, in medium afferat. Cum enim jam tantum erroris hujus antecessorem atque assertorem habuerit, ipse quoque, procul dubio, corrupto exemplari usus, non potuit

(cc) Tract. de bono patient. OO. f. 200. Edit. Erasm. Rot. que prodit Basl. 1521. (dd) ad Quirinum lib. III. §. 39. OO. p. 310. (ee) Epist. II. ad Sulpit. Severum. qua reperitur tom. III. Biblioth. M. P.P. edit. Paris.

tuit non fieri, quam, ut leposito, inconsultoque, textu Græco authentico, simili ratione, ut alii, laberetur, et, quemadmodum LUCAS BRUGENSIS de ipso loqui amat, antiquo librariorum errore seduceretur.

§. XVI. His ita confectis, multo minus auctoritas LEONIS I, Pontif. Rom, alias Magni appellati, aliquid in recessu habebit. Hic, postquam docuisset, Salvatorem nostrum DEI Filium, universis in se creditibus & Sacramentum condidisse, & exemplum reliquiss, ut unum apprehenderent renascendo, alterum sequerentur imitando; posteriorius, ut Scriptura suffragio confirmaret, oraculum nostrum, cum antecedentibus duobus commatibus, non tam aliter, quam ipse PAULINUS, recitavit (ff).

§. XVII. Hinc luculenter appetet, quid aliorum, atque in primis GLOSSÆ ORDINARIÆ, (gg) suffragia, ad tundam, hac in parte, Vulg. Edit. conferant. Certum enim est, istam, in oppositione ad Patres illos, quos adduximus, multo recentiorum esse temporum, quibus error hic ita disseminatus fuit, ut genuina lectio vix audiretur, vel conspiceretur. Ea enim illorum temporum erat infelicitas, ut Græca tenuisse suspectum, Ebræa, hæreticum esse, putaretur. Hinc barbarie magis magisque incrementa sumente, monachi quoque non e re sua esse existimabant, ut textum Græcum vel Ebræum inspicerent, quin potius Vulg. Vers. contenti, cum eadem errare, quam ex textu authentico genuinam Spiritus S. mentem assequi, malebant. Deinde quoque absurdum foret, errorem ex errore adstruere. Quid enim *Glossa ordinaria* est aliud, quam Vulg. Editio, περιφράστι perpetua nervosaque explicata. Nam quemadmodum ille exploderetur, qui exinde, quod lcripta quedam sub DIONYSII AREOPAGITÆ nomine extent, concludere velit, eadem Scriptorihujus nominis, qui secu-

C 2 lo I.

(ff) de Passione Domini, serm. XIV. Biblioth. M. PP, edit. Colon. tom. V. part. II. f. 842. (gg) tom. IV. ad b. l.

Io I. vitam duxit, esse tribuenda; ita quoque hæc probatio: i-
deo lectionem Vulg. Edit. genuinam esse, quod in Vulgata re-
periatur, communī omnium consensu, tanquam aperta Pet.
Princ. erit rejicienda. Accedit tandem & hoc, quod, si hac in
parte auctoritatī *Glossa ordinaria* aliquid tribuendum, etiam
id de aliis rebus, in *Glossa* contentis, sit affirmandum. Nunc au-
tem *Glossa* dictum illud *Matth. XVI.* in quo Papa Romanus funda-
mentum sui dominii atque infallibilitatis querit, non de
Petro, sed de confessione ejus, quam totius Collegii Aposto-
lici nomine deposituit, veritate sic jubente, exponit. Quod si
ergo, in nostro dicto, *Glossa ordinaria* testimonium aliquod
luculentum exhibere possit, id quoque de altero loco, ut
Pontificii admitterent, necessarium erit, quod tamen, absque
laſione sui capitisi, nequaquam largientur.

§. XVIII. Aliud prorsus judicium, de **VARIIS LE-
CTIONIBUS VELESIANIS**, que pariter pro Vulg. Interpre-
te faciunt, erit ferendum. Hæ autem a D. PETRO FA-
XARDO, MARCHIONE VELESIO, ad exemplaris Græci ex-
eufi N. T. marginem exteriorem, minio, e sedecim MSS.
Codicibus adscriptæ erant, & deinceps opera LUDOVICI
DE LA CERDA (bb.) in lucem prodierunt. Notatu au-
tem est dignissimum, ipsum MILLIUM (ii) primum has
lectiones rejecisse, deinde tamen, Amici cuiusdam monitis
locum relinquendo, in Appendicem suam conjiciendas cu-
rasse. Et sane sat magnifice postea de iisdem sensit (kk),
ita, ut magnam earum partem, originarium, Italicorum Interpre-
tum, textum, referre, adeoque pro genuinis ipsis Apo-
stolorum ferme habendas esse, judicaverit. Non tamen
dissitetur, Vir industrius, dari quasdam in iisdem lectioni-
bus interpolatas, imo plane ad Vulg. Edit. confitas, quamvis
raro easdem occurrere pronunciet. Et sane res aliter se
habere non potuit, quoniam MARCHIO VELESIUS, uti ipse

MIL-

(bb) *Adversar. sacror. cap. 91.* (ii) *Proleg. sect. 1507.* (kk) *Proleg.*
sect. 1311. & 1312.

MILLIUS statuit, scopum sibi praefixerat, eas solum notare lectiones, quæ Edit. Vulg. favebant. Ut autem ad corruptionem oraculi Petri, quæ etiam in *Lectionibus Vele-sianis* deprehenditur, redeamus, merito illi locum inter *confictas ad Vulg. Edit. assignamus.* Cum enim ex sedecim MSS. Codicibus suas lectiones collegerit, nullus autem genuinus Codex, Græcus in primis: παρεδίδε τῷ κείνοις ἀδικῶς legat, prona consecutione elicetur, hanc variationem, uti jam dictum, ad Vulg. Vers. esse confictam.

§. XIX. Ut autem Vulgatus Interpres se quoque MS. quodam tueatur, pro eodem, ex commemoratione LUCÆ BRUGENSIS (11), Atrebatenſis Collegii sericatum allegari posset. Quale autem illud sit, antiquus, aut recentius, Latinum vel Græcum, (de quo tamen gravibus permoti causis dubitamus,) liquido non constat. Illud tamen evictum esse videtur, MS. commemoratum, exiguae, vel nullius esse auctoritatis. Cum autem ipsi Pontifici hoc non adeo aestimant, imo non vereantur, uti ipse LUCAS BRUG. fecit, genuinam lectionem, spuriæ ipsius preferre, neque nos temeritatis cuiusdam accusari poterimus, si una cum LUCA, MS. hujus auctoritatem non admittamus.

§. XX. Posset tamen ulterius aliquis instare objicendo: Quod si lectio Vulgata haud genuina eset, nequam tot Versiones, eundem cum ipsa errorem fuisse amplexuras. Ita enim *antiqua versio Germanica*, Norimberge anno 1483. impressa, habet: *Der, do ihm ward geflucht, fluchet nit, do er leyde, er droet nit, aber er antwurt sich in dem, der ihn urteylte unrechtlisch;* & cum hac N. T. Dresdæ 1527. typis exscriptum: *Welcher nicht wiederschalt da er gescholten ward, nicht dräuet da er leydet. Sondern ergabe sich dem, der ihn auch mit Unrecht urtheilt.* Neque in *Anglicana* aliter fecit MILES COUVERDALE, sed illud δικαιος per unryghte est interpretatus. Ast haꝝ versiones nihil prorsus ad vindicationem

corruptionis Vulg. Vers. conferunt, cum non ex Græco textu, sed Latino depravato sint confessæ, quod luculenter ex *Anglicana*, quam *MILES COUVERDALE* adornavit, innoscit, cum statim e regione ipsius Vulgata adjecta conspiciatur. Sciens prætereo alias, qualis est *Germ. Jo. Eccii Ao: 1537.* in lucem emissa: *Moguntina*, auspicis *Jo. PHILIPPI*, *Electoris Moguntini*, & opera *Patrum Sc. Iesu Ao: 1662.* typis elegantioribus impressa, in quas idem vitium, ex impura Vulgatæ palude derivatum, deprehenditur.

§. XXI. Ultimo tandem loco Pontificii existimant, se in ipsa Scriptura reperisse fundamentum aliquod, quo in praesenti, Vulgatæ aliquam auctoritatem conciliare queant. Nimirum perhibent in S. Codice dari loca quædam, quæ exacte dicto Petri, Vulg. Vers. corrupto, respondeant, atque hac ratione saltem fieri potuisse, quod talis lectio, nostro in oraculo, antiquis temporibus obtigerit. Primum *HUGO DE S. CHARO* somniat occurtere *Esa. LIII. 7.* ubi Vulgata ita verit: *Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum.* Apparet itaque statim, quidnam sibi *HUGO* velit; putat enim verba hec: *Oblatus est, quia ipse voluit*, convenire cum illis: *Tradebat autem se iudicanti in iuste.* Hanc tamen explicationem coactam & minus congruam esse, facili negotio conficitur. Neque enim textum originarium observat, neque mentem Spiritus S. genuinam assequitur. Ita namque Ebraea fluunt: נָשׁ וּחַזָּה נְעַנֵּה וְלֹא יִפְרַח אַפְתָּג *Afflitus, & ipse excruciatus est, & non aperuit os suum,* que B. *LUTHERUS* ita reddit: *Da er gestrafft und gemartert ward, thet er seinen Mund nicht auf.* Quid igitur hinc *HUGO* elicet? sane nihil aliud, quam Vulgatum Interpretem neque hoc in oraculo cum textu avthentico consentire.

§. XXII. Alterum *CORNELIUS* *Jer. XI. 19.* se observasse putat, Vulgatus hunc in modum procedit: *Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam: et non cognovimus.*

vi,

vt, quia cogitarunt super me consilia dicentes: *Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum e terra viventium.* Longe vero aliter textus authenticus verba hæc proponit, quem allegasse apprime hic necessarium videtur. Ita autem se habet: *וְאַנֶּה כִּכְבֵשׂ אֶלָּו וּבְלַטְבּוֹת לְאֶרְעָה כֵּי־עַלִּי חָשַׁבְנוּ מִחְשְׁבֹות נְשׁוֹחָה עַז בְּלַחְמוֹ וְגַנְכָרָנוּ מַאֲרַץ חַיִם וְשָׁמָוֹן*. Et ego sum tanquam agnus amicabilis, qui ducitur ad matrandum, & nescivi, quod de me tales suscepserint cogitationes: *Perdamus arborem cum fructibus ejus, & excindamus eam e terra viventium, & nomen ejus non commemoretur amplius.* Atque hinc, quantum Vulgatus ab Ebræo textu recedat, cuiusque expositum est oculis. Ut nihil dicamus de *וְאֶלְיָהּ*, quam vocem Vulgatus reddidit per mansuetum, eum tamen ex sententia LUD. DE DIEU (mm) nunquam mansuetum, sed potius assuetatum, (quod mansveto ideo non respondet, quia agnus mansuetudinem a natura, non ab assuetatione habet,) & tandem, ex usu linguae Arabice, amicum denotet. Id saltem monebimus, quod hæc verba: *Mittamus lignum in panem ejus*, ad quæ explicanda Oedipo opus esset, vix umbram sensus, in Ebraico idioma- te contenti, repræsentent. Nam radix שָׁחַר nunquam significat *mittere*, aut *injicere*, sed potius *perdere*. Deinde dum esset, si statuerit, per ψ hic loci *lignum quodcumque* indicari; quin potius continuatio schematis per eradicationem determinat, notionem ψ hic præcise *arborem* indigitare. Quod denique ad *בְּלַחְמוֹ* attinet, nullo modo contextus admittit, ut hoc vocabulum speciatim per *panem* explicemus. Neque opus erit, ut cum LUD. DE DIEU ad linguam Arabicam configiamus, si modo notetur canon, quem CLARISSIMUS LEIGH (nn) tradidit: *לְאַחֲרֵי innuere frumentum, quando de arbore dicatur*, uno verbo, Synecdochen hic speciei, pro genere, occurtere. Si vero vel maxime omnes has Vulgatae versionis a textu authentico discepantias, mis- fas

(mm) Crit. S. f. 245. (nn) Crit. S. part. I. f. 118. col. 1.

fas faceremus, nondum tamen parallelisnum aliquem inter verba illa: *Tradebat autem se iudicanti iuste*, & dictum, quod scrutamur, deprehendimus. Apud *Jeremiam* enim saltem agitur de patientia Christi, quod tanquam agnum amicabilem se exhibuerit: itemque de nefandis *Judeorum consiliis*, quod penitus ipsum extirpare in animo habuerint. *Quisque igitur facile iudicare poterit*, inter verba loci Petrini corrupta, et inter oraculum Jeremianum, nullum prorsus exquisitum nexum dari.

§. XXIII. Tertium tandem ex *Ez. L. 6.* idem CORNELIUS in medium protulit, quo forsan loco rem totam confessam esse credidit. Si autem illud diligentius examinemus, neque in hoc exactam convenientiam, cum verbis Petrinis depravatis, invenimus. Agitur enim de persecutientibus Christum, non de Pilato eundem iuste iudicante. Et quamvis nexus aliquis, ex oraculo quodam Scripturæ, cum errore Vulgatae Versionis eliciatur, nondum tamen ideo Pontificii præsidium aliquod inexpugnabile se confutos existimant. Nos enim libenter illis damus, Christum se Pilato tradidisse judicandum, quia alias ipsum condemnare haud potuisset; id saltem inficiamus, lectionem hanc, in dicto Petrino, pro genuina esse habendam. Quod cum hucusque satis, infringendo Adversariorum rationes, evictum sit, nos, ad demonstrationem sententiae, menti Spiritus S. conformi, Capite sequenti, accingemus.

CAPUT II.
SISTENS RATIONES,
QVAE INVICTE GENVINAM SENTEN-
TIAM ADSTRUUNT.

§. I.

V Eritatem, Sole clariorem, multis molestis probationibus velle demonstrare, idem esset ac, existentiam dici, cuius tamen lumen oculos nostros perstringit, labo-

laboriose evincere studere. Simili ratione, veritatem genuinæ lectionis, in oraculo Petrino, multis rationibus ut anxie adstruamus, vix operæ pretium esse existimamus. Momenta quippe Adversariorum, quæ in contrarium afferunt, omni soliditate destituuntur. Et quoniam, fonte limpidissimo spredo, ex turbidis lacunis, & nimia quorundam Patrum Latinorum veneratione, sunt hausta, perpetuam merentur proscriptionem. Ne autem videamur optimæ causâ excidisse, hanc quoque in nos suscipere operam non refragabimur. Id autem eo alacriori mente aggrediemur, cum ipsos Pontificios, præsertim ESTIUM atque LUCAM BRUGENSFM, præentes habeamus, ex quibus potiora argumenta desumemus, & sic defensores Vulg. Vers. propriis ipsorum armis conficiemus.

§. II. Quo autem de mente Spiritus S. eo certiores reddamur, oraculum Petrinum altiori indagine expendere, ejusdemque nexus accuratius investigare, res ipsa postulare videtur. Adhortatur nimirum D. *Apostolus*, in antecedentibus, servos, qui Christo nomen dederant, ut eodem amore & clementes & austeros dominos prosequantur. Illud namque & gratiæ & gloriæ cedere apud DEVM, si quis propter conscientiam, alienus a sceleribus, innocenter patiatur. Et quamvis hæc omnia illud non svaderent, ipsos nihilominus vocationem, ad perferendas injurias, obstringere, maxime, cum ipse Christus pro nobis passus sit, atque singulare ὑπογειανὸν reliquerit, cuius vestigia exacte premere, nobis incumbit. Descendens autem ad speciamlem descriptionem, quomodo se Servator noster in passionibus suis gesserit, dicit tandem, *eum omnis peccati expertem, cum malediceretur, maledicta non regessisse, cum pateretur, non comminatum fuisse.* Jam subjungit particulam adversativam δέ, quæ hic invicto plane argumento continuationem sensus atque materiæ antecedentis, quæ per errorem Vulgatae editionis infertur, removet, oppositumque innuit, quid-

D

nam

nam Christus e contrario fecerit? qualem medelam adhibuerit? quo solatio erectus fuerit? ad quem, tanquam suis Judicibus superiorem provocaverit? cuique causam suam commendaverit? Atque hic est, de quo Apostolus loquitur, quando dicit: παρεδίδε (scilicet ἡλπίν, quod verbale *Syrus*, de quo deinceps agemus, bene ex verbo sequenti supplet, non autem εὐλόγον, quod Vulgata somniat,) Τῷ νέοντι δικιώσ. Quisnam autem ille ἡλπίν δικιώσ sit? non prolixa inquisitione eget, si perpendamus, Christum non provocasse ad Imperatorem, sed obmutuisse tanquam agnum coram tonfore suo; nullus itaque alius erit, quam Pater *ipsius eternus, judex ille justissimus, non excluso Spiritu S. & λόγῳ inhabitante.* Atque hoc erat illud singulare solatum, quod servi, Christo addicti, qui innocentes ab heris suis injuriis afficiebantur, ex imitatione Mediatoris sui capere poterant. Nunc enim videbant aedes aliquem, dominis suis superiorem, qui potentiam in ipsos exercebat, quique injurias sibi illatas, tanquam justus judex, vindicaret, & afflictos ex misericordia tandem eriperet, ad quem tuto in suis calamitatibus confugere queant. Quo fane insigni solatio, non saltem frustrati, verum etiam in desperationem precipitati fuissent, si auctoritate Vers. Vulg., atque impudenti CORNELII iudicio, standum esset. Quomodo cuncte igitur Pontificii suam, pro authentica in Concilio Tridentino a Pontifice, e cathedra pronunciante errare nefcio, declaratam, versionem Vulg. palliare studeant, nihilominus tamen certissimum est, cum nullum aliud objectum personale in ultimis *commatis 23.* verbis reperiatur, quam ipse gloriofissimus DEVS, Pilatus autem prorsus excludendus, sit, hoc modo horribilem, ac plane execrabilem βλασφημίαν in sanctissimum Numen committi, quam tamen Pontificii, non saltem approbant, verum etiam, quod adhuc impudentius, ipsi Spiritui veritatis improperare audent.

§. III.

§. III. Sufficeret hæc, ex ipso nexu oraculi nostri petita, genuinæ lectionis comprobatio, cum autem Pontificii alia quoque, in primis auctoritatem Patrum, & versiones quasdam pariter urgeant, ne aliquid hac in parte in nobis desiderari videatur, adversariis plura argumenta, & Patres, qui longe majorem vim probandi habent, denique versiones antiquissimas, recentioresque opponemus. Tudemur vero genuinam oraculi Petrini lectionem primo loco, *consensu omnium omnino Codicum Grecorum*, quem ESTIUS ipse ultro largitur, nec CORNELIUS, rigidissimus alias Vulg. Vers. vindicta, dissiteri potest. Jam vero certum est, textum Græcum in novo Foedere esse authenticum, & ab ipso Spiritu S. Evangelistis atque Apostolis inspiratum; quis itaque huic, omnibus codicibus consentientibus, se opponere auderet, nisi, quod nefandum, Spiritum veritatis erroris mendaciisque postulare velit. Vident igitur Vulgatæ defensores, sententiam ipsorum non tantum falsitate laborare, verum etiam homine Christiano prorsus indignissimam esse.

§. IV. Ad Patres si deveniamus, denuo omnes, *quorum monumenta Græce conscripta extant*, veritatem nostræ sententiæ adstruunt. Hucdum enim Pontificii nullum, quamvis anxie quæsivissent, nobis objicere potuere; sed potius fateri coguntur, cum LUCA BRUGENSI, Græcos codices, & Enarratores constanter legere: παρεδίδε τῷ οὐρανῷ διάτιον. Ut autem dictis fides constet, unius vel alterius testimonium in medium proferemus. DIDYMUS nimirum ALEXANDR. (a), postquam egisset de timore servili, dicit: Petrum laudare hominem Iesum, quod nullum peccatum commiserit, sed cum maledictus fuerit, nulli malum pro malo, aut maledictum pro maledicto, reddiderit, & eos, qui insurgebant adversus ipsum, tradiderit iuste iudicanti DEO, verbo inhabitanti in semeipso. Quod DIDYMI testimonium eo notabilius videtur, quo magis ipse DIDYMUS in censuram Pontificiorum incurrit. Mirari autem subit,

D 2

Editores

(a) Enarrat in Epist. Petri, tom. IV. Biblioth. M. PP. edit. Col. f. 215,

Editores Bibliothecæ PP. edit. Colon. circa verba *Didymi*, quæ a Vulgata prorsus abeunt, nihil monuisse, cum tamen alibi id fecerint. Nempe, ubi ipse probare conatur, timorem servilem esse irrationabilem, ne lector his offendatur, in margine notarunt: *caute esse legenda hec verba, quia videatur damnare timorem pœna, seu servilem, tanquam irrationabilem, cum tamen ex se bonus & utilis sit, eo modo, quo S. Thomas (b) exposuisset, atque Concilium Tridentinum (c) tradidisset.*

§. V. Alterum testem veritatis e Græcis adducere lubet CYRILLVM ALEXANDRINUM (*d*), cujus verba, quæ præsenti scopo inserviunt, ita sonant: ἐν Γοῦλῳ γὰρ μαλισα θαυμάζειν ἀξιον, ἢς τε ἀνεξημακίας τὸ μέτρον, καὶ τῆς ἐνθυσίᾳ αὐτῷ φιλανθρωπίας τὴν υπερβολὴν. Διὰ τοῦτο καὶ ὁ Πέτρος ἐπισέλλει περὶ ἐντός, διὰ λοιδορεύμενος τὴν ἀντελοιδόρει, πάχων τῷ ἡπείλει παρεδίδει τῷ κενοντι δικαιώσ. Quæcum adeo sint liquida, non opus erat *Interpreti* CYRILLI multum laboris in his reddendis impendere. Non tamen est reticendum, eundem munia candidi interpretis, omni ex parte, haud explevisse. Nam cum pari modo verba Scripturæ, a CYRILLO allata, secundum ipsius mentem, atque reliqua, exponenda fuissent, ipse nihilominus, sine dubio ex studio partium, illud παρεδίδει τῷ κενοντι δικαιώσ sensu prorsus contradictorio: *Tradebat autem judicanti se injuste, transtulit.* Atque hæc intempestiva licentia nos cautos esse jubet, ne facile versionibus Patrum, a Pontificiis adornatis, nisi inspectis Græcis fontibus, fidem habeamus, ut errores, in quos alias præcipites ruimus, eo melius evitemus. Plures e Græcis, & in primis OECUMENIUM adducere possemus, sufficiant tamen hi duumviri, in quorum ore firmum testimonium stabit.

§. VI. Jam ad *Latinos* progredimur, & totidem Patres, magnæ fidei & auctoritatis, qui pro veritate oraculi Petrini loquuntur, ob oculos sistemus. Primus est AU-

GUSTI-

(b) 2. 2. Q. 19. art. 4. (c) *Seff. VI. c. 6. can. 8.* (d) *tom. IV. OO. f. 513.*
514. edit. cura Jo. Auberti *Interpretis Regii Lutetiae adornatae.*

GUSTINUS (*e*), ingenuus dogmatum Ecclesiae purioris, Lutheranae, assertor, qui neque hac in parte veritati deesse voluit. Hic enim, dum in oraculo Joanneo, ubi assertur, Patrem neminem judicare, sed omne iudicium filio tradidisse, versatur, objectiones quasdam, ex dictis Scripturæ S. format, inter quæ & nostrum locum hunc in modum allegatum reperimus: *Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus, qui cum malediceretur, non maledicebat, cum injuriam acciperet, non minabatur, sed commendabat illi, qui iuste iudicat.* Quæ translatio ita textuī Græco authentico consona est, ut facile omnem ipsius vim exhaustissime videatur.

§. VII. Alterum locum tenet **FULGENTIVS** (*f*), qui, cum longa meditatione exposuisset, Christum, & quoad animam, & quoad corpus, nobis exemplum aliquod reliquisse, id D. Petrum, hoc in loco, indigitare affirmat. Divinirati enim non adeo magnæ laudi ducendum esse, quod peccatum non commiserit, quia non peccare DEI sit proprium; corpus autem solum non exhibere nobis potuisse exemplar justitiae ab animabus nostris observandæ. De dicto autem ipso nihil habemus quod moneamus, sed cum eodem modo, quo **AUGVSTINUS**, illud proferat, id quod de hoc superiori paragrapgo diximus, de **FVLGENTIO** hic erit repetendum.

§. VIII. Missis Patribus, ad Versiones convertimur, atque omnibus præferimus antiquissimam illam *Syriacam*, si non ab *Apostolo*, uti B. PFEIFFERVS loquitur (*g*), saltem ab *Apostolico viro profectam*. Habet se autem hunc in modum: *لَوْلَى فَلَمْعَةٌ مُّنْهَجٌ كَمْ نُوْلَى لَبَّاعُونَ ظَرِيْفَةٌ ئَدْنَى*
تَرْسَهُ ئَوْلَى لَكَلْمَةٌ كَمْ بَلْمَهُ ئَلْمَهُ لَوْلَى
لَلَّهَمَّ إِنَّمَا تَرْسَهُ ئَلْمَهُ لَوْلَى Ille (*est*) qui maledictus est, sed non (*ui-*

D 3

(*tissim*)

(*e*) tom. IX. OO. per Erasm. Rot. Bas. 1529. edit. tract. XXI. in Joannem, f. 128. (*f*) ad *Trasimundum Regem lib. I. cap. II.* Bibliotb. M. PP. edit. Col. tom. VI. (*g*) Crit. S. cap. X. Sect. 4. §. 3. p. 282.

cissim) maledixit, & passus est, & non minatus est, sed tradidit causam suam judicii justitiae. Observamus autem in hac singulari plane periphrastica explicacione, dubium illud, quidnam post παρεδίδει subintelligendum sit, singulari artificio, textui quam maxime conformi, removeri. Cum enim nihil alieni in sensum hujus dicti inferendum esset, optime, quia de aliquo οὐνούσι δικαιως hic agebatur, verbale suo themati conveniens, nempe οὐτον post παρεδίδει Interpres subaudiendum putavit. Sapienti pariter consilio illud οὐνούσι δικαιως per judicem justitiae paraphrastice reddidit, ut si aliquis irruat in textum Græcum, semper extet antiquum monumentum, ex quo ille, juxta sensum, qui temporibus, Apostolorum proximis, obtinuit, vindicari queat. Vnde adeo illi, qui temere corruptam lectionem fecuti sunt, Syrum vel non intellexisse, vel nunquam inspexisse, ob foeditatem erroris, censendi sunt.

§. IX. Quoniam itaque SYRVS sensum loci hujus, aliqua ex parte difficilem, egregia sua περιφέρει omnium quasi oculis exposuit, non se male acturum ARABS existimavit, si suam versionem ad modum Syriacæ adornaret. Quare etiam post παρεδίδει vocem aliquam, Syræ, causam notanti, synonymam inseruit, & illud οὐνούσι δικαιως, missio Ebraismo, ut dicitur, qui in Syriaca versione occurrit, per judicem iustum explicavit. Neque aliter AETHIOPS dictum nostrum, in translatione sua, interpretatus est, sed textum Græcum, non seposita omni ex parte versione Syriaca, secutus, sensum Spiritus S., uti a bono interprete requiritur, genuine sobrieque explicatum dedit. Hinc VERSIO EBRAICA, recentiorum temporum, pari ratione, uti fieri debebat, secuta, sine dubio, Jeremiam, cap. XI. 20. verba illa: παρεδίδει ή οὐνούσι δικαιως, per קְדוּשָׁה לְשֹׁפֵט quoniam tradidit judicii justitiae, sat bene, integreque reddidit.

§. X. Cum orientalibus, quas nunc lustravimus, plurimæ pariter occidentales, textum Græcum diligenter obser-
vant

vant. Versioni hinc *Anglicana MILITIS COVVERDALE*, cuius mentionem precedenti Cap. §. 19. fecimus, aliam, *speciali Regis mandato, ad textum originalem examinatam, editamque Edimburgi 1633.* opponimus, quæ Græca verba hunc in modum exprimit: *But committed himself to him that judgeth righteous.* Pari ratione procedit *ITALVS*, qui ita habet: *Marimetteva la causa a colui, che giudica giustamente,* *HISPANUS:* *Sino remitto la causa al que juzga justamente,* *GALLUS:* *Mais se remettoit a celui, qui juge iuftement,* *DANVS:* *Men band sette det ind til dem, som domer rettelige,* *HUNGARVS:* *Hanem annac badgya vala az boszsziallass,* *azki igazan itel,* *BOHEMVS:* *Ale porauctel (kriwyd) temu, genz sprawedliwe saudi,* *POLOVVS tandem;* *Ale poruczyl (pomste) temu, ktory sprawedliwie sadzi,* *aliique complures.* Ex allatis itaque versionibus satis superque patet, corruptam, in dicto nostro, lectionem, quam Vulgata Editio exhibit, augustiori domicilio non receptam, ipsi saltem domesticam permanisse.

§. XI. Genuina sic lectione, tam ex connexione textus, quam suffragio tot Patrum, fideque dignarum versionum, adstrœta, ultro nobis via, majori jure, quam Pontificiis, ad loca παράληπα panditur. Siquidem fententia, quam defendimus, veram Spiritus S. mentem candide exhibet, non dubitandum, præcipue cum de passione Servatoris sermo sit, de qua tot vaticinia V. T. extant, aliquod oraculum huic simile se esse oblaturum. Ut autem eo melius Pontificiis nævos ipsorum demonstremus, statim ad oraculum *Jer. XI. 20.* quod verba illa, quæ ipsi pro depravatione sua allegant, indivulso nexu excipit, nos convertimus. Sane videntur hac in parte imitari ululas lucifugas, quæ ne radiis lucis colluscentur, atque objecta distinctius percipient, tenebras adamare consueverunt. Similiter & ipsi, ad comma saltem antecedens, in quo paralelismus quidam obscurior, cum argumento dicti nostri, plane

plane nullus autem cum depravatione ipsius reperitur, se recipiunt, ne forsan, si & v. 20. tanquam locum παράληλον allegent, omnibus innoteſcat, quod Vulgata in errore veretur. Notabilia ſane ſunt verba, quae omnino ſuadent, ut statuamus, hic *Jeremiam*, tanquam typum Christi, deſcriptum eſſe. Nam non faltem illa, quae in ipſo *commate antecedenti* leguntur, Servatori noſtro pari modo evene- runt, ſed etiam hæc, quae noſtro in verſu dicuntur, com- mode ad ipſum applicari poſſunt. Ut autem ad ſcopum noſtrum accedamus, non melius rem adumbrare poteri- muſ, quam ſi dicamus, comma hoc *Jeremianum* eſſe iuſtum Commentarium verborum *D. Petri*. Hic enim commemo- ratut, quid nam poſt παρεδίδον concipiendum fit, nempe ריב cause, atque quis nam fit ille οὐνόν διδίως, nempe יְהוָה בָּבֶן צָבָא שִׁפְטֵךְ בְּחַזְקָה וְלֹב egregie explicatur. Quod autem ad verba illa: אֲרָאָה נִכְתָּר מְהֻם attinet, etiam hæc Christo tribui poſſunt, modo hoc notetur, eſſe verba de præfracte peccantibus, & in malitia ſua perfeverantibus, quales Judæi erant, qui Christum neci dabant, intelligenda.

§. XII. Huc quoque pertinet *Eſa. cap. LIII, comma 2*, quem locum ipſe *ESTIVS*, &c, dudum ante ipſum, *CYRIL- LVS HIEROSOLYM.* (b) pro parallelō, cum dicto *Petrino*, ſobrie explicato, agnoscit. Neque male ſentiunt, qui Pe- trūm ad illud *Deut. XXXII. 35*, a *Paulo Rom. XII. 19*. & *Ebr. X. 3.* repetitum: *Mibi vindicta, ego retribuam*, mentem intendiſſe exiſtimant, inter quos denuo *ESTIVS* erit referendus. Nec ipſe *CORNELIUS* ſuſtinet diſſiteri, hæc oracula egre- gie inter ſe convenire, hincque comparationem quandam inter illa inſtituit, atque ſingularem ipſorum nexum ele- ganter demonſtratum dedit.

§. XIII. Et quid tandem multo labore opus erit, cum ipſi Pontifici, in oraculo controverſo, Vulgatam cor- ruptio-

(b) *Catechesi XIII. Biblioth. M. PP- edit. Col. tom. IV. f. 426. col. 2. lit. G.*

ruptionem passam fuisse fateantur, et pro nostra sententia fortiter militent. Ita G. ESTIVS non dissimulat, *interpretem Vulgatum, cum non intelligeretur, librariorum inficit,* jam olim in sensum magis obvium fuisse mutatum, quare etiam depravationem illam, inductione argumentorum, pro vera lectione, solide refutavit. Testem pariter veritatis se exhibuit LVCAS BRUGENSIS, qui primo quidem paululum timidior (*i*), omnia auctoritati Pontificis maximi permittens, sibi faltem ex Notationibus suis augurari sumit, legendum esse, *Tradebat autem judicanti justus.* Alio tamen in loco, ingenuo errore in Vulgata commissum fuisse, largitur, & rationes invictas sane contra eandem in medium adducit. Hinc ERASMUS, cum versionem Novi Foe deris adornaret, non dubitavit hic Vulgatam emendare, quod non ad animi sui somnium, uti ipse loquitur (*l*), sed ad probatissimorum, etiam Latine lingue, Codicum & citationum fidem, de quibus ipse agit, suscepit. Hunc, cum veritatis luce plane obruerentur, in emendando imitati sunt LAURENTIUS VALLA, ISIDORUS CLARIUS, ZEGERUS, ast, referente RAITHIO (*m*), post eustum, HUGO GROTIUS, GAGNEJUS, EMAN. SAA, AR. MONT. PAGNINUS, aliique complures.

§. XIV. Hac omnia, quamvis probe nota essent CORNELIO, uti ex ipsius farragine appareat, non tam hominem, servili plane modo sedi Romanæ addictum, corrigere poterant, quo minus impudenter statuerat, absurdam illam, & in DEUM injuriam Vulg. Verf. lectionem ipsa veritate veriorem esse. Jam autem de indole veritatis, viro ingenuo atque candido, non ex studio partium, sed natura rei iudicandum esse, ipsa sana ratio dicitur; Sed

(i) Variis lett. Latin. Bibl. ex vetustis MSS. collectis, quibus pos sit perfectior reddi, feliciter coepta correccio, si accedat summi Pontif. auctoritas. Premissa sunt haec lectiones N. T. Ar. Mont. (k) Vid. denuo Bibl. Crit. in nostrum locum. (l) Prefat, ad Annotat. in N. T. (m) Vindictis Verf. B. Lutheri l.c.

quid CORNELIUS? ille nequaquam sibi religioni ducit, quo tantum, sic dicto, Vicario Christi placere studeat, sententiam, quae DEV M injustum pronunciat judicem, infelici, cyclopicoque ausu, Spiritui veritatis impingere. Quid quælo tandem, si opinio, quæ DEV M injuritiæ arguit, tantam approbationem meretur, pro falso erit habendum?

§. XV. Rubore suffundantur igitur Pontificii, præcipue illi, qui *auctoritate sedis Apostolice correctioni Bibliorum prefuerunt* (n), quod inter magna beneficia, quæ per sacram Tridentinam Synodus DEV S Ecclesiæ sua contulerit, id in primis numerandum censeant, quod Vulgata Editio, tam diu in Ecclesia probata, gravissimo decreto authenticata sit declarata. Quacunque enim ratione notio authenticata sumatur, nullo modo Vers. Vulg. citra manifestam falsitatem, inexcusabilem absurditatem, injuriamque in DEV M, applicari potest, id quod invictissimis argumentis B. CALOVIUS (o) fuse comprobatum dedit. Ab enclimate autem, quod imputant aliis versionibus, non paucas illarum, ad hæreses confirmandas, licenter detortas videri, Editionem Vulgatam nullatenus absolvere poterunt. Nec opus erit, ut ad alia progrediamur exempla, cum locus noster Petrinus, id satis superque evincat. In hoc namque DEV S justus judex, imo ipsa justitia, nihilo minus injustum judicium ferre, proterve asleveratur, quod non duntaxat hæreticum, sed plane blasphemum dicendum.

§. XVI. Quando autem se ad auctoritatem HIERONYMI recipiunt, pro invalido nulliusque momenti arguento est habendum. Sub judice enim huiclis est, cuinam Vulg. Vers., uti hodie extat, sit adscribenda? Nostratis Ecclesiæ Theologi non immerito in dubium vocant,

HIE-

(n) *Vid. Prefat. ad Lectorem, per illos, qui, auctoritate sedis Apostolicae, correctioni sacrorum Bibliorum prefuerunt, premissa Bibl. Vulg. Edit. Francisci Harci.* (o) *Critici S. diatribe nona integra.*

HIERONYMVM auctorem hujus versionis extitisse, quum
nec dictio, in plerisque locis, Hieronymiana respondeat, sed
potius barbara sit, & a puritate dicendi Hieronymiana longe
despectat, nec ita Ebraicum textum, uti HIERONYMVS de
se profitetur, inseparatur. Non autem id solum ab nostra
tibus statuitur; sed multi pariter e Pontificiis, emunctioris
naris, hanc sententiam intrepide defenderunt, inter quos
PAGNIVS, PAULVS SEMPRONII EPISC., ERASMVS,
DRIEDO aliquere reperiuntur, de quibus si plura desideren
tur, B. CALOVIVS (p), atque WALTONVS (q) conferri
merentur. Quod si standum eset judicio quorundam e
Pontificiis, qui contendunt, Vulgatam esse Θεόντευσον, vel
per infallibilem Spiritus S. assistentiam adornatam, quod
tamen, ut CALOVIVS loquitur, non nisi stupidis & mente
captis adverbarii persuadeant; non possumus, quin ex
istimemus, HIERONYMUM nunquam auctorem Versionis.
Vulg. fuisse. Ipse enim fide dignissimum hac de re judici
um ferre potuisset, quod tamen nullibi occurrit. Accu
rate e contrario ille, *inter vatem & interpretem distinguit*, ibi
dicit Spiritum ventura praedicere, hic eruditionem & verborum co
piam, ea, que intelligit, transferre; nisi putandum sit, pergit Hiero
nymus, Tullium, Oeconomicum Xenophontis, Platonis Protago
ram, & Demosthenis pro Ctesiphonte afflatum Rhetorico Spiritu
transtulisse (r). Et, si HIERONYMVS hanc versionem Spi
ritu Sancto afflatus confecisset, quid opus fuisset, ut tot
summi Pontifices, in ea, non solum ad vetustissimos codi
ces MSS. repurganda, sed, quod notatu dignissimum,
ad Grecos Ebraicosque fontes, uti ipsi Correctores loquuntur,
examinanda, tantopere defudassent.

§. XVII. Id non parum illi ipsi, qui emendationi Biblio
rum prefuerunt, confirmant, dum difficile putant, pro hu
mana imbecillitate, affirmare, esse hanc castigatam Editio
(p) Critici S. diatribe IX. §. 5. (q) Apparatu Bibl. Proleg. in Bibl. poly
glot. n. 9. f. 356. seqq: (r) Prefat. ad Pentatev. tom. III. OO. per Er
asim. 1537. edit. f. 14.

nem omnibus numeris absolutam, saltem minime dubitandum, ceteris omnibus, quæ ad hanc usque diem prodierunt, emendatiorem, purioremque, extare. Imo palam profitentur, nonnulla consulto mutata, alia vero, quæ mutanda videbantur, consulto immutata esse relicta. Unde itaque concludetur, esse hanc versionem, Spiritu S. dictante, ab Hieronymo confectam? quum non sit absolutissima, sed vitiis plerisque obnoxia. Culpa enim vel in ipsum Spiritum veritatis est referenda, quod blasphemum; vel injuria temporum adscribenda, quod denuo statui non potest. Hac ratione namque providentia summi Numinis vicissim vapularet, utpote, quod versionem a Spiritu S. dictatam, sicuti Ebreaos Græcosque fontes, integrum conservare vel noluiset, vel non potuisset.

§. XVIII. Hæc omnia tamen magnò, ut videri volunt, animo, Pontifici spernunt, & nihilominus Vulgatam, tanquam de coelo delapsam, suspiciunt, atque in primis in emendatione Vaticano codice nihil non canonicum, nihil adscitum, nihil extraneum appositum fuisse, aliis persuadere volunt. Si hæc ipsorum firmiter staret sententia, tum neque illa propositio in tota emendatione Vulgata Edit. inventiretur, quæ errorem leviorem vel graviorem in se contineret. Sed hac ratione a canonica auctoritate neque spuria lectio dicti nostri Petrini excludenda foret, quæ tamen uti sèpius ostensum, ipsum D E V M injustitiae arguit, nullaque genuina ratione vindicari potest.

§. XIX. Sed, ut denuo verbis CALOVII (s) utamur, hæc ipsorum est infallibilitas, quam Präfuli Romano adscribere non erubescunt. Enim vero, cum ipse Papa, in Concilio Tridentino (t), Versionem Vulg. simul cum falsa lectio in oraculo Petrino e cathedra & definitive authenticam pronunciaverit, non potuerunt non quidam ex Pontificiis, quibus auctoritas Sedis Romanæ curæ cordique erat, illam defendere, imo genuinæ lectioni præferre, ne infallibilitas

Papa-

(s) Bibl. illustr. l.c. (t) Sess. IV. decret. II.

Papalis uno quasi impetu deturbaretur. Sed quocunque modo rem aggrediantur, infallibilitas Sedis Rom. quam maxime vacillabit. Si enim statuant lectionem illam, quam Vulgata nostro in oraculo suadet, esse spuriam, re ipsa infallibilitatem affectatam ejus proscribunt. Hinc enim infallibiliter infertur, Pont. Rom. *pro cathedra atque definitive* pronunciantem, tam gravem errorem designasse. Jam ab actu secundo, ad primum, bene concluditur. Sin autem, quod probabilius, ac menti Pontif. Rom. magis consentaneum, pro genuina venditent, nihilominus de tantopere prætentâ, infallibilitate actum erit. Quod enim jam supra est evictum, hic tuto applicare licebit. Nam cum per lectionem spuriam, summum Numen, justissimus ille judex, injustitiæ arguatur, haec tenus bono jure, cum laudatis, & *jam beatis, Professoribus Eperiensibus*, afferendum erit, Pontificem, Vulg. Vers. *pro cathedra & definitive approbando, canonizando, & authenticam pronunciando, juxta causæ Moralis leges (u)*, qua tamen, prudentum judicio, gravius, quam Naturalis, vapulat, immunitate errandi excidisse, ac blasphemiarum, quam illa designat, participem factum esse. Id quod erat demonstrandum.

§. XX. Atque hanc sedis Romanæ infallibilitatem, qua totus terrarum orbis fascinatus quasi tenebatur, divino excitatus Spiritu, *Megalander noster LUTHERUS*, ante hos ducentos annos, tanquam inane commentum omnium oculis exposuit. Quicquid enim regerat *ADAMUS CON TZEN (x)*, certum omnino est, *Divum LUTHERVM*, thesibus suis, indulgentiis *TEZELII*, mundinatoris, profani potius quam sacri, oppositis, primum iustum infallibilitati Pont. Rom. inflixisse, felicique omne, Reformationis Ecclesiæ,

Ez hucus-

(u) *Modi Caus. Mor. vid. apud Thom. Aq. Secund. Secund. Q. LXII Art. 7^o p. m. 200. Conf. Chemnitius tom. I. LL. loc. VII. cap. 8. f. 240. item Val. Velthemi. Insti. Metaph. cap. XXIV. p. 1073. -- 1205. (x) Jubilo Jubilorum Jubilæo Evangelio &c. Moguntia edito 1618, ad annum MDXVII. p. 18. & 19.*

hucusque densis tenebris barbariei, tyrannidisque degenerum Petri successorum, obfuscatae, fundamentum posuisse, quod ipsum *Præses meus*, (y) idemque *Preceptor ac Evergeta omni observantia ad cineres usque prosequendus*, & nuper admodum *Summe Venerabilis Epocta Dresdensis*, **Loescherus** (z), ad oculum ostenderunt. Probe enim magno huic *Viro* constabat, solius DEI esse, donare indulgentias, cum folius admittere non possit culpam, quod ex oraculo Petrino *Fulgentius* egregie deducit. Non tamen omnem prorsus infallibilitatem B. noster *Lutherus* ex Ecclesia proscriptam, sed eam tantum ad Scripturam restrictam voluit. Quod enim male habet **Otrokocsum** (aa), *Protestantes non ullam in medio sui agnoscere caschedram, vel confessum Doctorum, in cuius verbo ac decisione unicuique Protestant necessario standum foret, sed omnia ad Scripturam examinanda esse censere*, id saltem a nobis infallibilitatem, Pont. Rom. adscriptam, removet, quam etiam remotam volumus. Quid enim Ecclesiam juvaret talis consensus Doctorum, qui pro infallibilitate sua, sententiam, que ipsum *DEVM* injustum constituit judicem, certam, omnique exceptione majorem nobis obruderet. Nos potius illam, quam *Otrokocsi* vilipendit, infallibilitatem Scripturae S. omnibus anteferrandam esse existimamus. In illa enim, teste *PETRO*, habemus

(y) *Disp. de primordiis emend. per Lutherum Relig. n. VII. §. in primis 5. quorūsum etiam faciunt n. ix. x. & xi.* (z) *Vid. die Römisch-Catholischen Discurse vom Evang. Luth. Jabel-Jahre. Disp. II. p. 41. 42. seqq;* (aa) *Franciscus Foris Otrokocsi, Heretica Religioni addictus, vir multe lectionis, ex Hung. ad triremes abductus, inde liberatus, per Italianam, Germaniam, Angliam & Belgium, iter cum mora faciens, multis Academias & Bibliothecas lustravit, eruditio nemque confirmavit & auxit. Redux in Patriam, munere sacro Cassoviae fungebatur; hinc relicta provincia, sibi demandata, cuius rei genuina causa nondum innotuit Hollandiam repetit. Inter fluctus tandem conscientie Sacris Romanis accessit, & præter alia Examen Reformat. Lutheri & sociorum, Tyrnaviae 1690. in lucem emisit, refutatus a Woodroffo Theologo Oxoniensi. Vid. illud, quoad l. c. cap. I. n. 3. p. 3.*

mus βεβαιόζεσον τὸν προφῆταν λόγον, cui tanquam lucernæ splendenti, in loco obscuro, si attenderimus, optime saluti, & rebus nostris consulemus. Mirum itaque est, Pontificios, aliam præterea quærere infallibilitatem, quam illam, quæ tanta cum παρόντι a Petro omnibus commendata fuit, ut adeo facile appareat, quam multis variisque modis Petrus, & Pontifices Romani, a se invicem disideant.

§. XXI. Deturbata autem, ope B. LUTHERI infallibilitate Pontif. Rom. omnibus quasi velum, quod oculis ipsorum appensum erat, detrahebatur. Principes enim nunc demum intelligebant, se non propter delicta sua huc dum a Papis vexatos fuisse, sed potius, ut ditionibus viribusque suis exuantur, thesauri vero Pontificis indies incrementa sumant; reliqui autem experiebantur, sibi tantos sumtus, non pro cura animarum suarum, sed ut divitiis emungantur, faciendo fuisse. Hinc bono jure A. CONTZEN piis lacrymis, ad *Imperatorem Augustum, Reges, Principes, Res publicas, Populosque*, supersedere potuisset. His enim Reformatione B. LUTHERI optime consultum fuit. Et, si rem penitus introspiciamus, nihil aliud CONTZENIUS intendit, quam ut *Imperatorem Augustum, Reges, Principes, omnes denique* in foedam illam servitutem postliminio reducat, qua seculis maxime XI. XII. XIII. & XIV. qui ad clavum Reip. sedebant, a Pontificibus indigne habiti, vexatique fuerunt. Non autem Laici tantum sibi suisque rebus melius prospiciebant, verum etiam ipsimet Clerici, qui nihilominus sub jugo Pontificis constanter manerunt. Hujus rei luculentum reperimus exemplum in *Clero Gallico*, qui libertatem Ecclesiæ suæ, extincta fraude Pontificum sub Francisco I. *Sanctione pragmática*, redintegrare studuit, & de infallibilitate Sedis Rom. non saltem dubitavit, verum etiam solenni protestatione eidem se se opposuit. Testimonia sit hodierna, de *Bulla Anti-Quesnelliana*, controversia, quæ magna animorum contentione in Gallia agitatur, in qua eo jam percurrent est, ut *Bulla Pontificia*, tanquam

quam erronea, una cum sanctissimi Patris infallibilitate, rejecta, insimulque ad superiorum, concilium nempe generale, sit provocatum. Et si ne ulla causa rejectionis extitisset, illa sufficere potuisset, quod Papa, nescio quo impetu, denuo Vulgatam authenticam venditarit. Ita enim **QVES NELLIO**, quod interdum a Vulgata recesserit, exprobratur: *Denum, quod intolerabilius est, sacram ipsum Novi Testamenti textum, damnabiliter vitiatum comperimus, & alteri, dudum reprobatae, versioni Gallica Montenisi in multis conformem, a Vulg. vero Editione, quae tot seculorum usum Ecclesia probata est, atque ab orthodoxis omnibus pro authenticâ haberi debet, multipliciter discrepantem & aberrantem, pluriesque in alienos exoticos, ac saepius noxios sensus, non sine maxima perversione detortum (bb).*

§. XXII. Hanc inanem Præfusis Rom. querelam quando expendimus, nihil magis in votis habemus, quam ut **QVES NELLIO**, in *versione sua N. T. Gallica*, omnes Vulgatæ Edit. errores emendasset, longe ab iis recessisset, pressque textum Græcum authenticum secutus fuisset, quod tamen se fecisse, in *Literis ad Pontificem datis*, aperte inficiatur (cc). Enim vero, ut alia loca sicco pede præteream, foedum illum errorem, in dicto nostro Petrino, uti ex *versione Latina, Parisis edita*, accepimus, ex Vulgata haustum, retinuit, quem sane, si Græcum consuluisse, nunquam admisisset.

§. XXIII. Nos *controversias Quesnellianas* cum ad scopum nostrum non pertineant, merito mittimus, atque in examine earum, quod præter alias, etiam *Celeberrimi nostratis Academæ Theologi*, nempe *Magnif. Dn. DD. CHLADENIVS (dd) & SCHROEERVS (ee)*, Patroni atque Præceptor-

(bb) *Vid. ipsa Bulla sub nomine apud Frickium in Inclem. Clementis XI. examinata, quam ad exemplum Parisiensis, apud viduam Franc. Muguet impressum, recudi curavit. (cc) Quæ annexæ sunt Bulle novitiae Clementis XI. a Jägero examine. (dd) Examine doctrina Quesnelliana. (ee) Disput. de Jure Episcoporum in Gallia, a Papa ad concilium provocandi.*

res nostri aeternum reverandi suscepérunt, plane acquiesci-
mus. Id saltem, pro nostræ fententiæ æquitate & innocen-
tia, inde eliciimus, infallibilitatem Pont. Rom., eriam ab il-
lis, qui sedi Rom. alias addictissimi fuerunt, pro vana repu-
tari. Nihil itaque efficiet altera, *Syncretiste*, O T R O K O C S I I ,
objectio, quod nimurum nostra Ecclesia antiquitate se non com-
mendet. Cum enim infallibilitas Pontif. Rom., quod ex
hactenus dictis patet, valde dubia, vel verius, prorsus nul-
la, sit, ex mente autem tepidi O T R O K O C S I I , infallibilitati
Scripturariæ opponatur, ultiò sequitur, plurima, quæ hac-
tenus ex cathedra prolata sunt dogmata, quæque Scriptu-
ræ S. repugnant, tanquam erronea, rejicienda esse. Genu-
ini invariatæ Augustanae Confessionis socii, infallibilitatem
Scripturæ S. omnibus in dogmatibus p̄fesse observantes,
firmiterque eidem adhærentes, de antiquitate summa Ec-
clesiæ suæ, contra omnes aliorum vanos insultus, trium-
phant. Nulla enim Religio majori se antiquitate tuetur,
quam quæ in ipsomet Religionum principio alte radicata
deprehenditur.

§. XXIV. Manifestam proinde calumniam in Ecclesiæ
Lutheranam eructat *Numisma illud Romanum*, quod A. CON-
TZEN mordacè suo, contra Jubileum Lutheranorum primum, con-
scripto libro, præmisit, cuius altera facies Solis emblemā ex-
hibet, cum inscriptione:

Constans ecclesiæ antiquitas.

Mille & sexcentis micat invariabilis annis;
altera vero Lune, cum epigraphe:

Inconstans herescon novitas,

Mille & sexcentas facies centum induit annis.

Nam, cum hactenus demonstratum sit, Pontificios, Scri-
pturariam, ut loquuntur, infallibilitatem, alto supercilium con-
temnere, imo multa præter & contra Scripturam statuere,
nullo modo splendor solis, qui hucdum semper idem fue-
rit, Romanæ Ecclesiæ erit adscribendus. Non enim eru-

F

beficit

bescit CANISIUS (ff), Christianum vere catholicum describens, hunc talem appellare: *Der nachdem er getauft ist, durchaus gläubet und bekent, was die alte Catholische Römische Kirche glaubt und bekent, NB. es sei eben in der Bibel geschrieben oder nicht.* En egregiam illam constantem Ecclesiæ Romanæ antiquitatem, cui inverso numismatis Romani ordine, inconstans hereseon novitas, quam longa antiquitas, verius eslet tribuenda.

§ XXV. Relicta hinc Pontificiis calumniandilibidine, quæ ipsis propria est, æquitatis Christi memores, ita vestigiis mansueti Magistri insistere studuimus, ne vel otioso, multo minus mordace ac injurioso verbo, quempiam irritaremus. Proh dolor! quantis convitiis & calumnias hostes veritatis innocentis LUTHERI natales, educationem, mores, ingenium, conversationem, vitam transactam, & mortem; dogmata itidem, Reformationis stupendum opus, ipsam denique translationem Bibliorum, ab adverfariis ipsis passim niveo notatam calculo, cumulent, & propemodum obruant, integra loquuntur volumina. De interpretatione Codicis S. unum, quod ex ore VENERANDI PARENTIS accepi, recitasse placet testimonium. Anno circiter 1673. Preses e Soc. Jesu in Disputatione, quæ Wratislavia in Burgo Cesarco habebatur, LUTHERUM infernalem vocabat hereticum, eo quod sub initium statim sacras literas adulteraverit, loco Perfecti creavit, er hat geschaffen, Imperfectum, schuff surrogando. Abbas Vincentinus, stemmate splendidus, cui antagonista munus delatum, LUTHERUM quidem hereticum fuisse admittebat; sed ob hoc peccatillum Grammaticum talem esse negabat, imo Versionem Lutberi, Vulgatę, hoc loco, præferendam esse asserbat, eo quod DEUS adhuc in principio circa creationis opus occupatus fuerit. Quærebatur porro ex Preside, utrum Ebræum illud בָּרָא Perfectum, Imperf. vel Plusquamperf. exprimat? Hic tales minutias spernendo, coactus est audire, pueros, qui talia ignorant, ferula

(ff) Catechismo min. quest. i.

fernula esse dignos; subjecitque Vir eruditissimus, Præteritum, apud Ebræos, omnes ejus species virtualiter includere. Nos, cum Spiritum Christi habeamus, non statim Vulgatum ob colaphos, quos Prisciano saepe impegit, v. c. *calefacimini* (gg) & sic porro, gehennæ adjudicamus. Illud tamen, stringente nos veritate, fateri cogimur, infallibilem, ut dici amat, Christi Vicarium, Vulgatam, quæ DEUM manifeste injuriæ arguit, verbaque Spiritus S. contradictorio sensu detorquet, approbando & canonizando, privilegio infallibilitatis, nobis vel invitis, prorsus excidisse.

§. XXVI. Nos piam erga coeleste Numen decer mentem testari, eidemque supplices agere gratias, quod, ministerio B. LUTHERI, Ecclesiam tantis beneficiis cumularit, eandemque e densis errorum tenebris, non minus gloriose & potenter, quam populum Israëliticum e servitute Aegyptiaca, liberaverit. Idem propitium Numen, cuius aulpicis Reformatio, non absque stupore, est inchoata, & mirabiliter continuata, ita ut optatum consperexit finem, Ecclesiam emendatam, jam per duo secula, contra insultus & machinationes Satanæ, potenti dextra defensam & conservatam, ad consummationem usque seculi, fortissimo brachio tueatur, & florentissimam esse jubeat. In primis *ILLUSTREM AD ALBIM, veritatis cœlestis fidelem custodem*, remigio alarum suarum clementer protegat, ut, quæ hucusque terror omnium hostium veritatis fuit, in postrem quoque furorem iplorum valide infringat, concretumque sibi pretiosissimum sinceræ Religionis thesaurum, sollicite sine macula custodiat, & intemeratum asservet, quo viri, Ecclesiæ & Reipublicæ utiles, quovis tempore, magno numero, ex eadem progrediantur.

(gg) *Jac. II. 16.*

DEO IMMORTALI GLORIA.

AD FILIVM DILECTVUM.

Dum segeti falces alienae immittere tentas,
Incurris poenam, chara propago, gravem.
Poena tamen si qua sit lege vocanda, sat ista
Mitius erit, secum plurima fertque bona.
En ualidus, pro decrepito, tibi Praeses agonis
Obtigit, absque omni vulnere liber eris.
Castigare s̄uos clemens sic fucvit Iova:
Abrahe conjux ceu tibi testis erit.
Tu modo perge sacris studiis incumbere navus,
Temporis ut tractu Praes̄ et ipse s̄ies,
Quamque adem Domino mibi tot discrimina rerum
Non permiserunt, adiscere stude.
Subsidis, Patria felix, doctisque Magistris,
Quam, Fili, multos te superare vides.
Quot miseric̄ peregrinando superanda pericla,
Expertum pr̄ter, credere nemo velit.
Tu tamen es doctis natus, nutritus Athenis:
Quae te perficiant tutus habere potes.
Quos lustrare cupis libros, vel Scripta vetusta,
Hec tibi communis Bibliotheca dabit.
Excite binc Macenates tibi Summus Iova,
In stadio currens, ne titubando ruas.
Laudes quodque DEI, coetus curetque salutem
Organon, evadas, utile in ade sacra.

Tibi optime cupiens Pater

M. GEORGIVS MICHAELIS CASSAI,

Hungarus, Colleg. Philosoph. Aſſessor.

ERRATA.

Prefat. A. 2. lin. 6. lege pleno, ibid. lin. 24. l. contrōv. Conspect. A.
3. col. I. lin. 14. l. §. 6. ibid. lin. 15. l. Veleſ. Cap. I. §. XXI. lin. 16. l.
¶¶¶, ibid. §. XXII. lin. 2. l. ubi Vulgatus, ibid. lin. 16. l. ¶¶¶, ibid.
§. XXIII. lin. 16. l. conformis. Cap. II. §. XIV. lin. 4. l. statueret, ibid.
§. XI. l. lin. 27. l. Oeconom.

Ung VI 19



TA-20L
SK.124.1MM1.00

VD 18


VD 17

2



Farbkarte #13

B.I.G.



I. F. M.
ΠΕΡΙ

2.

ΤΟΥ ΚΡΙΤΟΥ
ΔΙΚΑΙΩΣ, ΟΥΚ ΑΔΙΚΩΣ
ΚΡΙΝΟΝΤΟΣ,
SEV, DE
IVDICE
IVSTE, NON, INVSTE
IVDICANTE,

AD VINDICANDVM ORACVLVM I. PETR. II, 23.
CONTRA STATOES INFALLIBILITATIS
PONTIFICIS ROMANI,
PRAESIDE
DN. GOTTLIEB WERNSDORFIO,
SS. THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE PROF. PVBL. AEDIS O.O.SS.
PRAEPOSITO, ET SENATVS ECCLESIASTICI ASSESSORE,
STVDIORVM FORTVNARVMQVE SVARVM AMPLIFICATORE, OMNI OB-
SEQVII ATQVE HONORIS CVLTV AETATEM DEVENERANDO,
DIE XII. NOV. ANNI SECVLARIS,
EMENDATAE, PER LVTHERVM, RELIGIONIS, SECUNDI,
E CATHEDRA IPSIVS,
AVCTOR RESPONDENS
IO. FRIDERICVS, GEORGIF. MICHAELIS,
VVITTEMBERGENSIS, SS. THEOL. CVLTOR,
HORIS, ANTE MERIDIEM, SVETIS, DISPVTABIT.
VVITTEMBERGAE, STANNO CREVSIGIANO.